







EPISTOLA

DE

EURIPIDIS PHAËTHONTE.



EPISTOLA

DE

EURIPIDIS PHAËTHONTE,

QUAM

AD VIRUM CLARISSIMUM

CORNELIUM IACOBUM VAN ASSEN,

I. U. D. REGII CONSILII EXTRA ORDINEM SENATOREM, EQUITUM ORDINI A LEONE NEERLANDICO NOMEN HABENTI ADSCRIPTUM, ET IN ACAD. LUGD. BAT. IUR. UTR. PROF. ORD.

SCRIPSIT

SEBALDUS IAN. EVER. RAU.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS.

MDCCCXXXII.



VIRO CLARISSIMO

CORNELIO IACOBO VAN ASSEN

S. P. D.

SEBALDUS IAN. EV. RAU.

Quum vel aliquantum sedato horum temporum motu, vel intermisso, boni respirare, veteraque studia repetere posse videantur, redit mihi in mentem, Assene, Vir clarissime, eius quod olim tibi promisi: me quae de Phaëthonte Euripideo in commentariis inchoata haberem ordine perscripta ad te missurum. Sed hoc a me ne postules ut editoris munere fungar. Quod longe meas vires superat: nam etiamsi ea Phaëthontis loca quae apud veteres scriptores supersunt, cum reliquis Tragicorum hujus generis reliquiis, doctissimorum virorum curam iam dudum experta sunt, et longiores huius fabulae partes, ex rescripto codice Claromontano nuper editas, feliciter, in magna scripturae obscuritate, Bekkerus, et inprimis Hermannus, Germaniae lumina, multis locis illustrarunt; multa tamen in iis superesse de quibus ulterius quaeri possit, si quis omnia ex antiquitatis et interiore linguae Graecae cognitione explicare velit, omnes

qui diligentius tractaverint fatebuntur. Spes etiam est, eum qui multum versaverit scriptores qui Tragicorum dictis frequenter utuntur, philosophos, grammaticos, aliosque, iam huius fabulae argumento, et, ut ita dicam, ambitu melius cognito, incidere posse in loca quae probabiliter ad eam referant, quum superiorum diligentiam et acumen fugere debuerint. Sed haec sunt uberioris, et quasi iam adultae eruditionis. Nos tantum hoc experti sumus, an ex iis quae ex Phaëthonte nunc habemus colligi possit, quaenam fuerit huius Tragoediae universa forma, quaenam partium descriptio; ut etiam hoc videamus, quo haec egregii operis tamquam fragmenta ordine disponenda sint. Versatus est in eodem argumento, ut scis, singularis ingenii vir, Goethius, in libro cui titulum fecit *Kunst und Alterthum:* vol. IV. part. 2. pag. 5, seqq. et vol. VI. part. 1. pag. 79, seqq. Cujus opera mihi uti non ante licuit, quam perscriptis iam iis quae mihi de hac re verosimillima viderentur. Sed fortasse hoc melius fuit ad verum inveniendum: mente non praeoccupata inventis magni viri, qui in his ingenio magis indulsisse videtur, quam spectato Euripidis in caeteris superstitibus fabulis digerendis artificio, quod in iis satis aequabile et constans apparet, diligenter quod verum esset investigasse. Neque tamen Tragici artem unice spectavi; sed, cum omnis mihi haec disputatio suscepta esset ut in literis Graecis aliquantum proficerem, etiam illa addidi, quae ut orationem

poëtae, vel temporis labe vel inscitia hominum quasi laceratam, integriorem praestarem, non inutilia videbar excogitasse. Te vero, si, quod opto, loquax haec epistola a gravissimarum rerum et tractatione et contemplatione ad literas, quas semper amasti, reditum tibi paraverit, in primis rogatum velim, ut, si meam de Phaëthonte sententiam tibi probavero, id mihi significes: sic enim, quum ad laudem optimarumque rerum studium me semper horteris, ut te dignum est, beneficium tuum tueberis.



Antequam ad scenam te ducam, ut personas agentes loquentesque tibi ostendam, et per quamnam rerum vicissitudinem fabulam ad exitum deduxerit poëta, primum ipse quodammodo Prologi partibus fungar, ut qualem de Phaëthontis rebus traditionem secutus sit Euripides statim videas. Modo hoc in singulis ne quaeras quid ab aliis aliter traditum sit; quidque in fabula novaverit, quid aliunde acceperit Euripides. Longam moveres orationem, neque fortasse insuavem, sed extra huius epistolae argumentum, ut id circumscripsimus, proferendam. Id tantum dicam, auctorem quem maxime sequi potuerit Euripides, praeter Aeschylum in Heliadibus, et inprimis Hesiodum, fuisse ut puto Pherecydem: qui apud Hyginum, fab. CLIV, ubi Phaëthontis fabula narratur, primus

Graecorum Eridanum nomine vocasse dicitur. Argumentum autem, ut inscriptio fabulae ostendit, est natalium Phaëthontis per infelicem illum et a poëtis celebratum casum agnitio. Fuerunt tamen etiam qui fabulam *Clymenes* nomine celebrarent: more de quo dixit Valckenarius, Diatr. p. 16. C. Nam primae partes in ea tribuuntur Clymenae, Nymphae, Oceani filiae, mortali tamen, ut intelligitur ex chori verbis in fragm. Clarom. II. vs. 71. seqq. Hermanni: (Opusc. vol. III. pag. 7 — 21.) Prodit illa apud Euripidem nupta Meropi, Aethiopum regi: nam Aethiopiam scenae locum esse voluisse Euripidem patet ex Strabonis loco, qui, quamquam longior, describendus est, quoniam et prologi partem continet, et locum scenae qualem sibi finxerit Euripides diserte significat. Nam in Geogr. lib. I. disputatione instituta de Homerico illo versu quo bifariam divisi Aethiopes dicuntur, alii ad occasum siti, alii ad ortum solis; variis excussis sententiis, hanc tandem sibi maxime probari ait: (vid. pag. 58. A, et seqq. ed. 1707.) veteres, ut omnia ad Septentrionem sita Scythas, ad Occidentem Celtas, sic τὰ μεσημβρινὰ πάντα Αἰθιοπίαν vocasse. Firmat hoc primum Aeschyli loco ex Prom. Sol. ubi ille commemorat Χαλκοκέραυνόν τε παρ' Ὠκεανῷ λίμναν παντοτρόφων Αἰθιόπων, ἵν' ὁ — Ἥλιος αἰεὶ χρῶτ' ἀθάνατον — θερμαῖς ὕδατος — προχοαῖς ἀναπαύει: quae ad suam opinionem tuendam sic adhibet Strabo: παρ' ὅλον γὰρ τὸ μεσημβρινὸν κλίμα τοῦ Ὠκεανοῦ ταύτην πρὸς τὸν Ἥλιον ἴσχοντος τὴν χρείαν καὶ

τὴν σχέσιν, παρ' ὅλην καὶ τοὺς Αἰθίοπας αὐτοῦ φαίνεται: quae extrema verba sine dubio corrupta sic legit Casaubonus: πὰρ' ὅλον καὶ τοὺς Αἰθίοπας αὐτῷ εἶναι φαίνεται, vel omisso αὐτῷ: Tyrwhittus: πὰρ' ὅλον καὶ τ. Α. ἀποφαίνεται.. Quum vero optimo meo, optimeque de me merito praeceptori Bakio V. Cl. quae in hac epistola scripsi probare cuperem, mihi significavit sibi legendum videri, παροικεῖν τοὺς Αἰθίοπας αὐτῷ φαίνεται. Quod quin mecum pro vero habiturus sis nullus dubito. Etenim hoc Strabo animadvertit, Oceani plagam quae solem spectaret, sive ad meridiem sitam, porrigi apud Aeschylum ad extremum usque Occidentem: quippe qui mentionem faciat loci ubi sol καματὸν θ' ἵππων ὕδατος (Ὠκεανοῦ) προχοαῖς ἀναπαύει: in hac extrema autem regione etiam Aethiopes commemorari. Pergit Strabo: "Ο τ' Εὐριπίδης ἐπὶ τῷ Φαέθοντι τὴν Κλυμένην φησὶ δοθῆναι Μέροπι

. . . . τῆς δ' ἄνακτι γῆς,
ἣν ἐκ τεθρίππων ἁρμάτων πρώτην χθόνα
Ἥλιος ἀνίσχων χρυσέᾳ βάλλει φλογί.
καλοῦσι δ' αὐτὴν γείτονες μελάμβροτοι
Ἕω φαεννὰν Ἡλίου θ' ἱπποστάσεις.

Νῦν μὲν δὴ κοινὰς ποιεῖται τὰς (leg: τινας) ἱπποστάσεις τῇ τε Ἠοῖ καὶ τῷ Ἡλίῳ· ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς πλησίον αὐτάς φησιν εἶναι τῇ οἰκήσει τοῦ Μέροπος. Καὶ ὅλῃ γε τῇ δραματουργίᾳ τοῦτο παραπέπλεκται, οὐ δήπου τῆς κατ' Αἴγυπτον Αἰθιοπίας ἴδιον ὄν, μᾶλλον δὲ τῆς παρ' ὅλον τὸ μεσημβρινὸν κλίμα διηκούσης παραλίας. Primum quod hoc loco animum advertit est usus non pervulgatus praepositionis ἐπὶ in verbis ἐπὶ τῷ Φαέθοντι; in quibus, ut ex adscripta

notula patet haesitavit Xylander: adscripsit enim: » legi ἐν τῷ"; sed in libro habuit, ut videtur, ἐπὶ τοῦ. Utraque constructio praepositionis ἐπὶ in hac re non caret exemplis: cum tertio casu habet Philostratus, (in vit. Apoll. VII. 4.) τὰ ἰαμβεῖα, ἐπὶ τῇ Ἰνοῖ τῷ δράματι, ἐν οἷς ὁ Εὐριπίδης κ. τ. λ. Cum secundo Longinus, de subl. c. 15. ὅμοια τὰ ἐπὶ τῆς Κασάνδρας. Quod in sequentibus τινας pro τὰς legendum esse iudicavi ratio videtur suadere: nam communia esse stabula Solis et Aurorae apud Euripidem nihil ad Strabonem; sed fingi eiusmodi locum quemdam, eumque vicinum Meropis, (Aethiopum regis,) habitationi, ex eo manifestum est, poëtam ad extremum usque Orientem, in ora quidem terrarum ad solem versa, Aethiopes habitare credidisse: ut ex ipsius et Aeschyli testimonio quivis conficiat, vere hoc dixisse Strabonem, a veteribus τὰ μεσημβρινὰ πάντα Aethiopiam vocari. Facit autem Strabonis ratio ut in Euripideo loco ipsum Aethiopiae nomen requiram: itaque puto, per similitudinem proximi verbi Μέροπι, excidisse, et integrum Euripidis versum, quem Strabo describens turbaverit, talem fere fuisse,

Αἰθιοπίδος δοθεῖσα τῆσδ' ἄνακτι γῆς.

Ut Meropis nomen in Euripide huic versui praecesserit. Nam verba δοθῆναι Μέροπι in Strabone pro Euripideis habere nulla ratio nos cogere videtur, quamvis metro illigari possint: et vix dicas unde penderit ille infinitivus, si, quod verisimile est, ut mox ostendam, ipsa Clymene hîc loquatur, ut

de verbo φασὶν, vel simili quodam ineptam sit cogitare. Participio etiam utitur de se ipsa loquens Andromache, in cognomine fabula vs. 4. Caeterum Αἰθιοπίδος γῆς nomine designatur etiam Aethiopia in fragm. Archelai II. ed. Matth. et in Aeschyli loco, quem cum Euripideo illo servavit auctor anon. de Nili incr. in edit. Herod. Wess. p. 788.

Aethiopum igitur regis, (ut huc redeam,) Meropis, Clymenaeque filius esse putatur in fabula Euripidea Phaëthon. Putatur quidem, nam Clymene sibi conscia est eum ex furtivo cum Sole concubitu esse natum. Etiam Merops suum esse retur, ut eiulatus ostendit, quem edit Phaëthontis morte comperta: (fragm. Clar. II, vs. 75. 77. Herm. = V, vs. 34. 36. Matth.) Quod si bene coniicimus Euripides haec fabulae praestruxerat: Meropem ultimi supplicii metu proposito vetuisse, ne Clymene de illa ex Sole origine Phaëthonti quidquam narraret, verentem ne iuvenis hac opinione imbutus plus quam mortalia adfectaret, et sic in poenas incurreret divinas. Nititur illa coniectura verbis fragmenti Clar. II, vs. 1 — 10. = IV, 1 — 10. Matth. quibus maximum timorem ostendit Clymene, ne Phaëthontis corpus, quod fulmine tactum esse certa indicia produnt, maritus videat: et illis quae canit chorus, (fragm. Clar. II, vs. 71. seqq. Herm. = V, vs. 30. seqq. Matth.) quum id iamiam a Merope repertum iri intelligit:

'Ωκεανοῦ Κόρα, (i. e. Clymene,)
πατρὸς ἴθι, πρόσπεσε
γόνυ λιταῖς, σφαγὰς,
σφαγὰς, οἰκτρά τ' ἀρκέσαι σᾶς δειρᾶς.

Sed fingenda erat causa qua Clymene moveretur ut mariti edicto non obtemperaret: mihi autem hanc invenisse videtur Euripides. Parantur a Merope Phaëthonti nuptiae, quibus celebrandis ipse dies cuius primo mane fabulae actio incipit est destinatus: (vid. fragm. Clar. I, vs. 16. 51. seqq. 69. seqq. Herm. = II, vs. 16. III, vs. 10. seqq. 29. seqq. Matth.) Fecerit igitur poëta ob genus sponsae, (quam non mortalem, sed Deam esse intelligimus ex fragm. Clar. II, vs. 27, seqq. = IV, vs. 27. seqq. Matth.) conditionem a iuvene repudiari. Quid enim? Deae matrimonio iunctus, ipse mortali patre natus uxore minor, abiectus videbitur: quod Goethio etiam animadversum, (vid. libr. laud. pag. 10.) plane convenit cum recepta opinione de Phaëthontis persona, cujus superbia non minus nota quam aut Medeae ferocia, aut tristitia Orestis, etiam apud Ovidium, (Met. lib. I. 757,) significatur; ubi sic de se ipse loquens inducitur: *Ille ego liber Ille ferox — tacui.* Porro fecerit Euripides secutum esse apud iuvenem ex ea causa moerorem soli matri animadversum, denique consilium clam e patria concedendi, ne aperte patri resistens pietatem laedat; cuius rei, ut in sequentibus indicabo, tenue quoddam vestigium in loco ex fabula superstite repe-

risse mihi videor: ita Clymenam filium, consolari cupientem, et in patria retinere, animum inducere, ut obedientiam quam ad illud usque tempus marito praestiterit violet, iuvenemque de vero suo genere certiorem faciat. Ita, quod in Tragicorum arte summum censetur, neque culpa caruerit Clymene, nec tale quid admiserit quod misericordiae viam apud auditores praecludere posset. Sed iam in ipsa fabulae actione haec spectanda proponebantur: quam igitur ut contexuerit poëta, iam singulas partes spectans, tibi ut potero enarrabo. Neque hoc tamen omittendum, quod ad totius rei intelligentiam multum facit, ad διασκευὴν pertinens: rem agi ante aedes Meropis, loco ad concionem habendam apto, unde prospectus late pateat in maris littus, in agros, et in omnem circumiacentem regionem. (vid. fr. Clar. I, 10. seqq. et 29. seqq. Herm. vel II, 10. seqq. et 25. seqq. Matth.)

Prologum, ut iam verbo significavimus nobis videri, agebat Clymene. Nimirum est hoc proprium Euripidis, ut de nulla re graviore auditores vel minimum tempus incertos haerere patiatur; eos vero statim doceat genus, fata, consilia eorum quorum personae in scenam procedent. Vidimus autem de natalibus Phaëthontis, in quibus hic summa res vertitur, nemo diserte ad spectatores dicere potuisse praeter ipsam Clymenam: nisi quis Deo, (de Sole tamen ne quis cogitet, nam fabula incipit ante lucem,) Deo igitur Prologi da-

tas esse credat partes: quod praeter necessitatem hîc factum esse nescio cur statuamus. Itaque in principio primi fragmenti Claromontani Clymenam cum filio audîmus loquentem: quae ad primam partem Tragoediae pertinere, quae agebatur choro in scenam nondum ingresso, ex Phaëthontis verbis in fine hujus sermonis manifestum est. (cf. Herm. ad vs. 1. l. l. pag. 7.) Clymene igitur, ut nos putamus, prima prodibat, demonstratisque aedibus Meropis, se, quamquam Oceani filiam, aiebat in illis habitare quippe

Αἰθιόπιδος δοθεῖσα τῆσδ' ἄνακτι γῆς,
ἣν ἐκ τεθρίππων ἁρμάτων πρώτην χθόνα
Ἥλιος —

caetera, quae in Strabone vidimus. Tum de filio narrare verisimillimum, paratisque nuptiis; se curis excitari, ne odio nuptiarum temere quid adolescens moliatur. Superveniebat matri Phaëthon: et, patefacto illo in exsilium abeundi consilio, sequebatur eius cum matre sermo, (cuius extremam partem in primo fragm. Clar. habemus,) quo se Solis filium esse tandem comperiebat. Quod apud Strabonem l. l. legitur: *ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς πλησίον αὐτάς* (*τὰς τοῦ Ἡλίου ἱπποστάσεις*) *φησιν εἶναι τῇ οἰκήσει τοῦ Μέροπος*, id igitur ex hoc colloquio petitum videtur, nam apud Ovidium etiam Clymena sic filium hortatur: (Met. I, 773 seq.)

Nec longus patrios labor est tibi nosse penates:
Unde oritur, terrae domus est contermina nostrae.

Phaëthontis personae hoc loco conveniunt, quod

video etiam Matthiaeum suspicatum esse, versus ab Eustathio ad Od. N servati, apud Matth. h. fi fragm. n°. XVIII.

Ἐλευθερὸς δ' ὢν δοῦλός ἐστι τοῦ λέχους,
Πεπραμένον τὸ σῶμα τῆς φερνῆς ἔχων.

Quibus, odium matrimonii in quo non sit coniugum aequalitas significans, etiam illos persequebatur, qui uxores sibi ditiores, dotem secuti ducerent. Illud πεπραμένον τὸ σῶμα expressit Iuvenalis; sed satirica, ut solet, et nimia verborum libertate. (Sat. I. 42.) Nec miraberis me Euripideae imitationis vestigia in Iuvenale quaerere, cui scis plurima ex rhetorum scholis adhaesisse: in quibus, propter orationem tam multis festive acuteque dictis distinctam, non potuit quin Euripides perpetuo studio celebraretur. Hinc rursus multa Euripidea in oratoribus: quod multis exemplis confirmari possit. Sic, ut hoc utar, frequens est apud oratores antitheton, quo, cum quid in hoste laudent, eum casu, non virtute recte fecisse dicant. Vid. Andoc. de myst. p. 243. ed. Wechel. Isocr. Paneg. p. 165. ed. Batt. unde est apud Ciceronem in fine Catil. III: *ita me in rep. tractabo, ut meminerim semper quae gesserim, curemque, ut ea virtute non casu gesta esse videantur:* et pro Sull. cap. 30. *ego committam, ut ea quae pro salute omnium gessi casu magis et felicitate a me quam virtute et consilio gesta esse videantur?* Fons horum dictorum est in Andromache Euripidea, (vid. Andr. 321. seqq. Musgravii, i. e.

marginis interioris in ed. Matth. et sic semper Euripidis loco citavi:) ubi dicitur:

εὔκλεια δ' οἷς μέν ἐστ' ἀληθείας ὕπο,
εὐδαιμονίζω· τοὺς δ' ὑπὸ ψευδῶν ἔχειν
οὐκ ἀξιώσω πλὴν τύχῃ φρονεῖν δοκεῖν.

In eodem Cicerone illa oxymora: *cum tacent clamant*: (Catil. I. 8.) *Etiamsi tacent satis dicunt*: (Div. in Caec. cap. 6.) imitatione Euripidis dicta videntur, cujus haec sunt in Hippol. Coron. vs. 1089.

. . . . σαφῶς
τόδ' ἔργον οὐ λέγον σε μηνύει κακόν.

De prioris Hippolyti loco, (fragm. II. Matth.)

φεῦ, φεῦ! τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποις ἔχειν
φωνήν, ἵν' ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.

cogitasse videtur in or. pro Coelio, cap. 22. *Quid exspectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipsam pro se causam et veritatem posse mittere?* Ubi vides recte Garatonum Ernesti coniecturam repudiasse, qui *aliam* pro *aliquam* inferre volebat. Sed haec si quis omnia colligere vellet iustam libri materiem praeberent: ad Phaëthontem redeundum est. Ex cuius persona etiam hoc loco prolatus videtur versus a Stobaeo, in Flor. tit. XL, servatus: (vid. fragm. XIV. Matth.)

ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ.

Quo, ut nos putamus, exsilium cogitans matrem consolabatur. Exsilii certe mentione facta hunc versum in fabulam venisse et per se probabile est, et aliis versiculis in similem sententiam factis,

quos in quaestione de exsilio adhibitos videmus. Ut in Musonii diss. ὅτι οὐ κακὸν ἡ φυγή, apud Stobaeum eod. tit. laudantur item Euripidei versus:

ἅπας μὲν ἀὴρ ἀετῷ περάσιμος
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Apud Aristophanem autem, (in Pluto, vs. 1151.) cum Mercurium servus interrogaverit:

τί δέ γ' αὐτομολεῖν ἀστεῖον εἶναι σοι δοκεῖ,

respondet Mercurius tragica gravitate:

πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ', ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ.

quem versum a Teucro in exsilium abituro, (vid. Horat. Carm. I. 7. 21. seqq.,) in scena prolatum esse, videtur colligi posse ex Ciceronis loco, (Tusc. Quaest. V. 37.) cuius l. c. meminit Hemsterhusius. Nota enim est Pacuvii Teucer, illustris inprimis in scena Latina fabula, ex Sophocle fortasse in multis expressa: (cf. Tusc. Quaest. III. 29) ex quo loco intelligitur, versus ex Sophoclis Teucro qui sunt apud Stobaeum, tit. CXXII. 10. ex Telamonis persona dici; duosque sequentes, qui sub Sophoclis nomine simpliciter leguntur, inter Telamonis et Oilei personas dividendos esse. Quodsi a Sophocle habuit Pacuvius illa Teucri verba a Cicerone laudata:

Patria est ubicunque est bene:

et Sophoclis est ipse ille versus quem non sine causa amara irrisione lusit Aristophanes: (quamquam Hemsterhusio Euripideus videbatur:) dicendum est, hoc Phaëthontis loco, cautiorem Sophocle fuisse Euripidem: videtur enim sententiam, quam

facile erat reprehendere, non ut a se profectam, sed ut ab aliis acceptam protulisse: quod intelligitur ex particula ὡς. Et tamen minus habent reprehensionis Phaëthontis verba quam illa sententia ab Aristophane aculeo confixa. Haec enim patriae caritatem tollit et omnia commodi sensu metitur: illa etiam sic accipi potest, ut quaevis terra dicatur in patriae nomen venire, modo praebeat unde vitam sustentare possimus. Quae solet esse oratio philosophorum exules consolantium, et, ne inopiae terrore debilitentur, benignitatem laudantium naturae, quae ubivis facile praebeat quod satis sit homini ad vivendum. Pertinent huc quinque Euripidei versus a Gellio lib. VII. cap. 16. et ab aliis veterum laudati: (vid. Matth. fragm. inc. Trag. n°. XIV.)

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς πώματός θ' ὑδρηχόου,
ἅπερ πάρεστι, καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν;
ὧν οὐκ ἀπαρκεῖ πλησμονή· τρυφῇ γέ τοι
ἄλλων ἐδεστῶν μηχανὰς θηρεύομεν.

quorum tres priores habet Musonius in diss. laud. Quibus libenter eamdem Phaëthontis ῥῆσιν continuaremus; sed video eos a clarissimo viro Geelio, in Comm. de Eurip. Telepho pag. 10. eadem fortasse probabilitatis specie ad Telephum referri. Sed, ut etiam alia, te quidem ut spero non invito, ad verborum proprietatem observandam pertinentia notaverimus, nescio cur hoc loco non item dicamus de exquisito usu verbi πάρεστι, (quod

Euripides adhibuit ut significaret parabilem usum rerum quae necessariae sunt ad naturam humanam sustentandam,) notemusque eodem modo Latinos usos esse verbis *adesse*, et *non abesse*, de iis quorum copia semper praesto est, neque deficit. Uno exemplo defungar Virgilii, cujus haec sunt in Georg. II. 468.

. . . . . . at latis otia fundis,
Speluncae, vivique lacus; at frigida Tempe
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt.

Sermonis autem Phaëthontis cum Clymena exitus est, ut iam diximus, in codice Claromontano. Nimirum, quum adolescens voluntatem significaverit ad Solis regiam proficiscendi, ut matris dicta quam vera sint exploret, redeunt domum, tempus exspectantes quo Merops e cubili in publicum procedat, verba ad populum de Phaëthontis nuptiis facturus. Interea procedit chorus qui suavissimum carmen intercinit, laetum ortum diei dicens ad nuptias Phaëthontis destinati. Tum, concurrente populo ad regiam, prodeunt Merops et Phaëthon cum praecone: facitque audientiam praeco Meropi, nuptiisque felicitatem precatur.

Verba Clymenes in hoc fragmento Clarom. I, vs. 1. seqq. ad filium haec sunt in ed. Herm.

Μνησθεὶς ὅ μοί ποτ' εἶφ', ὅτ' εὐνάσθη, θεὸς,
αὐτοῦ τί χρήζεις ἕν· πέρα γὰρ οὐ θέμις
λαβεῖν σε.

in quibus displicet illud ὅτ'. εὐνάσθη nimis ut puto

abrupte dictum: et scripturam valde incertam esse in codice, patet ex apographo Hasiano, cujus exemplo Matthiaeus suam Euripidis editionem ornavit. Mihi legendum videtur:

μνησθεὶς ὅ μοί ποτ' εἶφ' ὅτ' εὐνάσθην θεῷ·

(cf. Ion, vs. 17. et 1505, ubi de eadem re sermo est.) Ut μνησθεὶς referatur ad Solem cuius nomen fuerit in antecedentibus; et hoc fere dixerit ad filium Clymene: » Solem adiens, sine timore, » (etenim exaudiet te, memor factus eius quod » mihi tum dixit cum rem habui cum Deo,) pe» te etc." In verbis αἰτοῦ τί χρῄζεις ἓν reprehendit Matthiaeus illud τι, quod pro ὅ τι accipere non patitur linguae ratio. Legendum puto, quod cum ductibus literarum in codice convenit: λέγ', εἴ τι χρῄζεις, ἕν. A enim et Λ, T et Γ saepe in codice discerni non possunt: de secunda litera dubitabat Hasius: tum in eius apographo non est O, sed Θ, quod in E videtur secunda manus mutare voluisse. Particula εἰ in hac locutione rem facit incertam et infinitam. Sic ad Iasonem Medea ironice: (Med. 1330.) εἰ δ' ἐμοῦ χρείαν ἔχεις, λέγ' εἴ τι βούλει. Id est, *quodcunque est quod vis.* In Phoeniss. vs. 1293, (sunt verba nuntii ad Iocastam:)

ἀλλ', εἴ τιν' ἀλκὴν, ἢ σοφοὺς ἔχεις λόγους,
ἢ φίλτρ' ἐπῳδῶν, στεῖχ' ἐρήτυσον τέκνα.

non dubitat nuntius an haec adsint Iocastae in dolore materno praesidia; sed quaecunque ei sunt ea adhiberi vult. Verterem nostrum locum *unum quod cupis, quodcunque id est, dic.*

Ibidem vs. 7, quum Phaëthon nondum *Phoebo parente superbus*, ut est in Ovidio, sed dubitans quaesierit a matre quî possit Solis regiam adire, et illa retulerit,

κείνῳ μελήσει σῶμα μὴ βλάπτειν τὸ σόν.

respondet, in ed. Herm.

εἴπερ πατὴρ πέφυκε, κοὐκ ἄλλως λέγεις.

In quibus εἴπερ est e coniectura Bekkeri pro ἐπεί, quae verba, habita ratione scripturae in codice, paucis tenuissimis tantum ductibus inter se distant: κοὐκ ἄλλως intulit Herm. pro eo quod Bekkerus legerat: οὐ καλῶς λέγεις, sed in apogr. Has. planissime scriptum est οὐ κακῶς, quod mihi servandum videtur. Κακῶς λέγειν est etiam, *temere et sine argumento dicere*. Vid. Hec. vs. 293.

Respondet Clymene:

σαφ' ἴσθι· πεύσῃ δ' αὐτὸ τῷ χρόνῳ σαφῶς.

Sed verbum σαφῶς abest ab apogr. Has. neque satis placet post σαφ' ἴσθι. Idem non habet art. τῷ, sed planissime scriptum αὐτοὺς χρονω, in quo puto esse corruptelam ab ipso librario qui codicem scripserit profectam. Fortasse sic legendum:

. . . . πεύσῃ δ' αὐτὸ σὺ χρόνῳ [μαθών.]

αὐτὸ mihi hîc videtur quod Latine dicitur *ipsa res*, i. e. *verum*: ut, in formulis αὐτὸ σημανεῖ et similibus, de quibus Valck. ad Phoen. vs. 626. Pronomen σὺ non otiosum est, sed vim addit affirmationi: ut in Suppl. 582. γνώσει σὺ πάσχων. Vid. etiam Heracl. 65: et in Alc. 1057. χρόνῳ δέ καὶ σύ μ' αἰνέσεις ἴσως. Ubi vides etiam χρόνῳ sine articulo,

quod est *tandem*, *post longum tempus*: cf. Valck. ad Phoen. vs. 313.

Paulo post Phaëthon chorum in scenam procedere animadvertens ait: (vs. 10 seqq. Herm.)

. . . . καὶ γὰρ αἵδ᾽ ἔξω δόμων
δμωαὶ περῶσιν, αἳ πατρὸς κοιμωμένου
σαίρουσι δῶμα, καὶ δόμων κειμήλια
καθ᾽ ἡμέραν φοίβωσι κἀπιχωρίοις
ὀσμαῖσι θυμιῶσιν εἰςόδους δόμων.

Quorum versuum primo mallem legi πέδα pro δόμων. (vid. Hec. vs. 53.) Neque enim δόμων legitur in apogr. Has. sed sunt eius loco inexplicabilia quaedam: et, si hîc etiam stare patimur, saepius quam ferri potest recurrunt verba δῶμα, δόμων, δόμους: quo vitio etsi non omnino immunis est oratio Euripidis, non ille tamen id ubi vitari potuit quaesivisse putandus est. Pro verbo κοιμωμένου, quod ex coniectura reposuit Hermannus, literae quaedam sunt in codice, quarum valde incerta est scriptura. Bekkerus sibi legisse videbatur αἳ πατρὸς ... τας γάμους: ex quo mihi in mentem venit Euripidem scribere potuisse: αἳ πατρὸς, ὡς εἰς γάμους, σαίρουσι δῶμα: (cf. Bacch. 454. Troad. 1209) puncto posito post δῶμα, ne male convenire haec videantur, ὡς εἰς γάμους et sequens καθ᾽ ἡμέραν: nam sequentia adduntur a Phaëthonte, ut quas mulieres intelligat, descripto earum quotidiano ministerio, significet. Verba δόμων κειμήλια absunt ab apogr. Has. neque mihi τῶν κειμηλίων mentio satis commode hîc fieri videtur, quae non

sunt e rebus quas servi καθ' ἡμέραν φαιβῶσι. Dicam quod sentio? Aquae ferendae ministerium hic commemoratum esse puto, ut solet in eiusmodi re. Vid. Andr. 166. Ion. 105, seqq. 145, seqq. 446, seqq. caet. Itaque totum locum sic fere scriptum fuisse puto:

. . . . αἱ πατρὸς, ὡς εἰς γάμους,
σαίρουσι δῶμα· καὶ [δρόσων προχύμασιν]
καθ' ἡμέραν φοίβωσι, κἀπιχωρίοις
ὀσμαῖσι θυμιῶσιν εἰςόδους δόμων.

Verba uncis inclusa addidi, non quod ita Euripidem scripsisse contendere velim, sed ut significarem in quem fere modum locum scriptum fuisse putem.

Carminis chori, quod vs. 19, seqq. sequitur quatuor priores versus in codice evanuerunt: duo tamen verba deleri non potuerunt, κατα γαν, ex quibus et ex sequentibus conficio, haec fere incoepisse ut illud Ionis carmen, (Ion. 82, seqq.)

ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων
ἥλιος ἤδη λάμπει κατὰ γῆν,
ἄστρα δὲ φεύγει πυρὶ τῷδ' αἰθέρος
ἐς νύχθ' ἱεράν. —

cf. Archel. fr. II. vs. 5. Quamquam hic sermo esse non potuit de sole orto, sed orituro; vel aurorae appropinquantis luce. Nam tenendum, quod etiam Goethius animadvertit, Phaëthontem ante ortum solis ad patrem proficisci: itaque quae in fabula praecedunt, colloquium Phaëthontis cum matre, hoc chori carmen, Meropis concionem, agi

2 *

ante hoc diei tempus. Neque necesse est ut cum Goethio dicamus, tempora hic minus recte poëtae distributa esse: modo teneamus Phaëthonti non longum iter ad Solis regiam fuisse, quam, ut est in Strabone, finxit poëta πλησίον εἶναι τῇ οἰκήσει τοῦ Μέροπος: choro enim in scenam veniente demum lucescere intelligitur etiam ex illis, quae in carmine sequuntur, de Philomelae cantu, deque exeuntium pastorum fistula; quibus idem diei, vel potius extremae noctis tempus etiam in Rheso significatur: ubi quum chorus dixerit: (vs. 536.) ἀὼς δὴ πέλας ἀὼς, mox addit (vs. 547, seqq.)

καὶ μὴν ἀΐω· Σιμόεντος
ἡμένα κοίτας
φονίας ὑμνεῖ πολυχορδοτάτᾳ
γήρυϊ παιδολέτωρ
μελοποιὸς ἀηδονὶς μέριμναν·
ἤδη δὲ νέμουσι κατ' Ἴδαν
ποίμνια· νυκτιβρόμου
σύριγγος ἰὰν κατακούω.

Quae cum Phaëthontis loco ita conveniunt, ut alterius loci auctor alterum ante oculos habuisse videatur. Sed in hoc ipso loco de quo dicimus versus sunt qui sic ab Hermanno (vs. 27, 28.) editi sunt;

σύριγγας δ' οὐριβάται
κινοῦσιν ποίμνας ἐλαταί·

quod multum discedit ab apogr. Has. in quo est συριγγας δ' οεστιαν, sex literis extremis ut dubiis notatis. Ex quo alicui in mentem veniat Euripidem scripsisse: σύριγγας δ' ἔτ' ἐφέστιας, (cf. Soph. Trach.

207.) i. e. *prope a suis sedibus*, cum paene exierint pastores. Notandum autem est, ut hîc est κινοῦσαν sic verbum *movere* posuisse Ovidium, (Met. V. 112.)

Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres.

In eodem carmine, (vs. 43, seqq. Herm. fr. III. vs. 2, seqq. Matth.) haec sunt apud Hermannum:

τὰ μὲν οὖν ἑτέροισι μέριμνα πέλει.
κῶμον δ' ὑμεναίων δεσποσύνων
ἐμὲ καὶ τὸ δίκαιον ἄγει καὶ ἔρως
ὕμνειν. —

quod in multis discedit a codicis scriptura. Ego haud scio an sic minus recte spernatur lectio πέλει κοσμεῖν, quam fere cod. exhibet; et an ἔρως minus conveniat servis ubi de dominis dicunt: (in cod. est εαγει καιρων.) Quare vide an sic legi possit:

κοσμεῖν· ὑμέναιον δεσποσύνον δ'
ἐμὲ καὶ τὸ δίκαιον ἔχει καὶ χρέων
ὕμνειν.

χρέων quidem, quod minus frequens in melicis non tamen inauditum, (vid. fr. Beller. XXVI. Matth. Soph. Phil. 143.) ut legi carminis satisfiat pro monosyllabo videtur sumendum, ut in Iph. Taur. 1498. Temen. fr. XV. Matth.

In praeconis verbis ad populum, (vs. 69, seqq. fr. III. vs. 29, seqq. Matth.) haec sunt ex coniectura Hermanni:

κηρύσσω δ' ὁσίαν βασιλήϊον
αἰτῶ δ' αἶσαν
εὐτεκνίαν τε γάμοις,

quod sic vertit: *Indico reverentiam regis, precorque felicitatem et bonam prolem connubio.* In quibus haec reprehendit Matthiaeus: ὁσίαν *reverentiam*, αἶσαν *felicitatem* significare; tum Ionicam formam in -ήϊος sibi ne in choricis quidem observatam scribit. Mihi in Euripide huius formae nota sunt exempla, Bacch. vs. 412. ubi est προβακχήϊε, et φοιβήϊον in Iph. Aul. 761. Ion. 470. nam ποιμνήϊα in Temen. fr. XVIII. (Matth.) coniectura illatum est. Itaque de hac forma, quum distincte in cod. scriptum sit βασιληϊον, non decerno; sed terminatio ον mihi nata videtur ex οις, quod etiam alibi in codice accidisse videbis conferens apogr. Has. fol. III. vs. 5. Porro quum in codice sequentia verba sic legantur αυτω δ' αυδαν, libenter legam:

κηρύσσω δ' ὁσίαν βασιλήϊοις
αἰτῶ δ' αὐδὰν
εὐτεκνίαν τε γάμοις.

ut ὁσίαν αὐδὰν hîc dicat poëta, ut in Herc. Fur. 929. φθέγμα ὅσιον: et κηρύσσειν αὐδὰν ut in Hec. 530. κηρύσσειν σιγήν. Hoc igitur sacrum silentium simul et indicat populo praeco, et precatur ut sit in nuptiis regiis.

Desinit primum fragmentum Claromontanum in primis Meropis ad populum verbis: sed ex unius versus particula quae superest, (— εἰ γὰρ εὖ λέγω,) intelligimus Euripidem, qui in Meropis persona egregie senis ἦθος servasse videtur; ut illa mitis sapientia, non sine quadam tarditate, in ea ap-

pareret: (quam personam saepius in tragoediis recurrentem Virgilius Latino etiam suo tribuit:) Euripidem igitur hîc instituisse unam ex illis orationibus in quibus occasionem captabat ad populum philosophandi. Et poterat sane Merops Phaëthontem suum videns iam ex adolescentibus excessurum et matrimonium initurum laudare disciplinam suam domesticam, multaque dicere de vitiis quae in adolescentia esse soleant, praesertim quum summo loco nata, et in omnium rerum affluentia, licentiam peccandi consecuta est. Itaque hanc fabulae partem locis distinctam fuisse opinor, quos in Florilegium recepit Stobaeus: alterum tit. XLIII. (Gaisf.) vid. Matth. fragm. XV.

ἐν τοῖσι μωροῖς τοῦτ' ἐγὼ κρίνω, βροτῶν
ὅστις πατὴρ ὢν παισὶ μὴ φρονοῦσιν εὖ
ἢ καὶ πολίταις παραδίδωσ' ἐξουσίαν.

alterum tit. XCIII. (vid. fragm. XVII. Matth.)

δεινόν γε· τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ' ἔμφυτον,
σκαιοῖσιν εἶναι. τί ποτε τοῦτου τἄιτιον;
ἆρ' ὄλβος αὐτοῖς ὅτι τυφλὸς συνηρεφεῖ,
τυφλὰς ἔχουσι τὰς φρένας καὶ τῆς τύχης;

De utroque loco pauca dicenda sunt: neque enim carent difficultate. In primo quidem non post κρίνω, sed post βροτῶν interpungendum puto: βροτῶν τὰ μῶρα enim sunt *insaniae*, *stulte facta hominum sibi nimis indulgentium:* (cf. Troad. 996.) Quod sic ὅστις durius sequi videtur, est Graecum loquendi genus, quod in Euripide frequens est, ut relativum sit pro coniunctione: uti hoc loco ὅστις

pro εἴπῃς. Vid. loca quae habet Matth. Gr. gr. §. 481. not. 2. add. Med. vs. 223 seq. qui locus proxime ad nostrum accedit: nam plura colligere vetat Schaef. ad Poët. Gnom. pag. 186. Versu sequenti quod legitur πατὴρ ὢν est ex coniectura Grotii, nam in Stobaei codd. legitur τῶν πατέρων, quod mihi ex glossa natum videtur hominis, qui videns de duplice auctoritate hîc sermonem esse, paterna et regia, id explicaverat, ad verbum ὅστις adscribens τῶν πατέρων, ut ad sequentem versum forte τῶν ἀρχόντων adscripserat. Neque tamen, fateor, mihi satisfacit Grotii coniectura, aut post verba πατὴρ ὢν apte sequi videtur ἢ καὶ πολίταις, sed hac ratione requiri commune verbum quo potestas in liberos et in cives simul possit significari. Sed verius videtur, quod mihi Bakius v. cl. subiecit, τὸ πρῶτον, ut ἢ καὶ quasi τὸ δεύτερον sequatur.

In altero Stobaeano loco primum δεινόν γε, a Seidlero sollicitatum, servandum puto, et per se stare ut ab indignante dictum: quod studiosus inprimis tragicae dictionis Plato secutus est in Theaet. p. 195. B. ubi Socrates: δεινόν γε, ὦ Θεαίτητε, ὡς ἀληθῶς κινδυνεύει καὶ ἀηδὲς εἶναι ἀνὴρ ἀδολέσχης. In Euripide quidem non sequitur ὡς, sed, ut in commota oratione, quae facile mutatur, infertur particula δὲ: quae est quaedam ellipsis, quam sedatius si loqueris sic licet expleas: δεινόν γε ὃ μὲν λέξω, ἔστι δὲ ἀληθὴς ὁ λόγος· ἔμφυτον τοῦτο τοῖς πλουτοῦσι, κ. τ. λ. Eadem particularum γὲ et δὲ consecutio est in Iph. Aul. v. 752.

τὸ τῆς θεοῦ φίλον γ' ἐμοὶ δ' οὐκ εὐτυχές,
ἐξιστορήσων εἰμι.

cf. ead. fab. v. 85. Ion vs. 278. Soph. Trach. 901. Caeterum illud δεινὸν in Latinis expressit Horatius: (Carm. I. 25. 19.)

Durum! — Sed levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

Extrema huius loci, de quibus varia est interpretum sententia, perturbata esse puto, et, ut simpliciter dicam, melius sic legi posse:

ἆρ' ὄλβος. αὐτοῖς, ὅτι τυφλὸς, συνηρεφεῖ
καὶ τῆς τύχης τυφλὰς ἔχουσι τὰς φρένας;

Quae sic verto: *an opes, quoniam caecae sunt, obscuritatem contrahunt illis, fortunae etiam caecam mentem habentibus.* In eiusmodi dictione καὶ valet *etiam:* ut in illo Alcmaeonis, (fragm. XI. Matth.)

φεῦ φεῦ, τὰ μεγάλα μεγάλα καὶ πάσχει κακά.

et in hoc Euripideo: (fragm. inc. Trag. LXX. Matth.)

θνητὸς γὰρ ὢν καὶ θνητὰ πείσεσθαι δόκει.

nisi cum cl. Bakio ἐκ τῆς τύχης legendum est. Sed etiam illud superest, illa ὅτι τυφλὸς et τυφλὰς φρένας tam brevi spatio iungi, et idem fere bis dici: ut eodem monitore libenter legam in versu priore, ὅτι πυκνὸς: ut de magnis opibus poëta loquatur quasi de densa quadam nube quae mentis divitum lumini officere videatur. (cf. Danaë fr. IV. Matth.)

Tertius etiam ad hanc Meropis orationem referri posset locus, item ex Stobaeo petitus, si consta-

ret ex Phaëthonte sumtos esse versus, quos in Florilegii titulo XLIII, proxime post sententiam quam modo ex eodem titulo descripsimus apposuit Stobaeus:

ναῦν τοι μί᾽ ἄγκυρ᾽ οὐδαμῶς σώζειν φιλεῖ,
ὡς τρεῖς ἀφέντι, προστάτης θ᾽ ἁπλοῦς πόλει
σφαλερὸς, ὑπὼν δὲ κἄλλος οὐ κακὸν πόλει.

Quibus in fine concionis Merops Phaëthontem in regni societatem recipere potuit. Sed quum quivis videat hunc locum sensu iunctum non esse cum versibus de quibus supra diximus, sed magis ad plane diversam pertinere sententiam: ut apertum sit inscriptionem loci in Stobaei codd. periisse: quis igitur dixerit an versus ex Phaëthonte, vel omnino Euripidis sint? Non dicam duriorem esse pro facilitate Euripidea constructionem: nam monuit me cl. Bakius ἀφέντι in ἀφεῖσαν, mutandum videri, ut sensus sit: *ut eam quae tres ancoras emisit.* Neque hoc argumento ut versus Euripidi abiudicentur abuti velim, esse in alia eiusdem poëtae fabula carmen in plane contrariam sententiam factum. Locus quem dico est in Androm. vs. 479 — 486: quos versus, vel philosophi locum inde expressum cogitasse videtur Cicero de Rep. I. 40.

Sequentia Poëtam sic constituisse ut, Merope ad sacra nuptialia paranda abeunte, Phaëthon, celato Rege ad Solem proficisceretur, ex superstitibus fabulae partibus colligitur. Post horum discessum chori carmen auditum esse vix dubium est: quod, quum iam oriente Sole canebatur, eius

Deí laudes maxime videtur celebrasse. Quare huc mihi revocanda videtur splendida carminis particula, quam a Macrobio, (Sat. I. 17.) servatam in fragm. inc. Trag. n°. CLXXVII retulit Matthiaeus, etiam indicans sibi ex Phaëthonte petitam videri:

πυριγενὴς δὲ δράκων ὁδὸν ἡγεῖται
ταῖς τετραμόρφοις ὥραις, ζευγνὺς
ἁρμονίᾳ πολύκαρπον ὄχημα.

Notandum certe, quod hîc dicitur, Solem *ὁδὸν ἡγεῖσθαι ταῖς ὥραις*, idem fere dici apud Nonnum: qui, ut in rebus Bacchicis saepe Euripidis Bacchas expressit, (vid. Herm. Opusc. tom III. p. 141.) ita in libr. XXXVIII. Dion. ubi Phaëthontis historiam intexuit, nostram fabulam ante oculos videtur interdum habuisse. Sic autem molestus homo Solem facit loquentem: (pag. 978. vs. 27. ed. 1605.)

αὐτὸς ἐγὼ στεφανηδὸν ὅλον πόλον ἅρμασι τέμνω,
οὐρανίων ἑλίκων πολυκαμπέα κύκλα διώκων,
μέτρα χρόνου πισύρησι φέρων κυκλούμενος ὥραις.

Et paullo post: (pag 980. vs. 12.)

καὶ τελέσας ἕνα κύκλον ὅλον λυκάβαντα κομίζω.

nisi forte illud *λυκάβαντα κομίζω* habuit a Virgilio, cuius haec sunt in nobilissimo Georgicorum exordio: (I. 5.)

. . . . *Vos o clarissima mundi*
Lumina, labentem coelo quae ducitis annum.

Qui etiam annuas vices, quas propter sol, quippe iter in orbem flectens, cum dracone apud Euripidem comparatur, ita expressit (Georg. II. 402.) ut similis species ei ante oculos fuisse videatur:

versum enim habet ita scriptum:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

ubi vid. Intpp.

Sed ut haec incerta sunt, ita maiore cum probabilitate affirmare possumus, in eiusmodi carmine locum fuisse cuius meminit Diogenes Laërt. II. 10. scribens Euripidem χρυσέαν βῶλον εἰπεῖν τὸν ἥλιον ἐν τῷ Φαέθοντι. Quum enim saepissime solis mentio in hac fabula fieri debuerit, nescio cur propter Diogenis verba, cum Valckenario (in Diatr. p. 31. B.) in prologi locum, quem supra ex Strabone retulimus, minus ibi aptam lectionem inferamus; vel cum Matthiaeo (ad fragm. I.) Diogenem memoria lapsum esse suspicemur. Praesertim quum in loco Orestis, (982 seqq.), de quo putat Diogenem cogitasse vir doctissimus, non χρυσέαν βῶλον dicat poëta, sed ἁλύσεσι χρυσέαισι φερομέναν βῶλον: quibus saxum significat illud Tantali capiti impendens, quod ead. fab. vs. 6. memoratur. Quo saxo an Euripides per allegoriam solem intellexerit, quae fuit quorumdam opinio, ut ait Scholiastes, alia haec est quaestio; sed Euripidem dicto Orestis loco solem non nominare satis est ut probetur, verba Diogenis de alio quodam loco accipienda esse.

Sequebatur post chori carmen, non multis ut puto intercedentibus, de Phaëthontis interitu narratio; quae fiebat sine dubio praesente Clymena; nosti enim morem Tragoediae, ut res in scena narrentur iis, quorum animus maxime ab eventu suspensus sit. Quis autem haec narraverit difficile

est decernere, quum rei ratio de uno ex Phaëthontis comitibus, ut solet in Tragoedia fieri, vix nos cogitare patiatur. Nulla enim verisimilitudine quemquam mortalium poëta testem fecisset eorum quae in Solis regia, et in coelo Phaëthonti acciderant. Itaque Deum hîc locutum esse credo; fortasse unam ex Heliadibus, vel ex Nymphis Clymenae sororibus. Sed quae ex ea oratione, ut ego puto, supersunt, ordine qui mihi maxime probabilis videtur, deinceps apponam, ut ad virorum doctorum coniecturas constituta exstant in Matthiaei editione.

(1) . . . .
θερμὴ δ' ἄνακτος φλὸξ ὑπερτέλλουσα γῆς
καίει τὰ πόῤῥω, τἀγγύθεν δ' εὔκρατ' ἔχει.
(fragm. XI. Matth. vid. Valck. Diatr. p. 32.)

(2) . . . .
. . . . *Βακχίου φιλανθέος*
Αἴθοπα, πεπαίνοντ' ὀρχάτους ὀπωρινούς·
[ἐξ οὗ βροτοὶ καλοῦσιν οἶνον αἴθοπα.]
(fragm. inc. Trag. CLXIX. Matth. ex Athen. XI. p. 465. B.)

(3) . . . .
. . . . » *Μὴ θίγῃς σὺν ἡνιῶν*
» *ἄπειρος ὢν ὦ παιδίον, μηδ' ἐς δίφρον*
» *ἀναβῇς, ἐλαύνειν μὴ μαθών* . . . . .
(fragm. VIII. Matth. ex Clem. Alex. Paedag. III. 2.)

(4) . . . .
» *ἔλα δὲ μήτε Λιβυκὸν αἰθέρ' ἐμβαλών*
» *κρᾶσιν γὰρ ὑγρὰν οὐκ ἔχων ἁψῖδα σὴν*

» κάτω δῄσει . . . .

. . . .

» ἴει δ' ἐφ' ἑπτὰ πλειάδων ἔχων δρόμον."

Τοσαῦτ' ἀκούσας εἶτ' ἔμαρψεν ἡνίας,
κρούσας δὲ πλευρὰ πτεροφόρων ὀχημάτων
μεθῆκεν· αἱ δ' ἔπταντ' ἐπ' αἰθέρος πτύχας.
πατὴρ δ' ὄπισθε νῶτα σειραίου βεβὼς
ἵππευε, παῖδα νουθετῶν· ἐκεῖσ' ἔλα,
τῇ ῥα στρέφ' ἅρμα τῇ δὲ . . . . . .

(fragm. IX et X. Matth. ex Long. π. ὕψ. cap. 15.)

(5) . . . .

ὁ δ' ἄρτι θάλλων σῶμα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς ἐς αἰθέρα.

(fragm. inc. Trag. CXXVII. Matth. ex Plutarch. de def. or. T. II. p. 416.)

Primum locum, qui constat ex duobus versibus a Barnesio ex Stobaei ecl. phys. et ex Vitruvio collectis, a Valckenario vero emendatis, hîc inserendum putavi; quoniam quum in principio fabulae rogasset Phaëthon,

πῶς οὖν πρόσειμι δῶμα θερμὸν Ἡλίου;

et mater simpliciter respondisset,

κείνῳ μελήσει σῶμα μὴ βλάπτειν τὸ σόν.

(fragm. Clar. I. vs. 5, 6.) ratio reddenda videbatur quo modo Phaëthon Solis regiam ingressus non statim combustus esset. — Sequebatur sine dubio in narratione currus Solis descriptio, in quem patrem iam escensurum videns iuvenis fatali illa sibi cupiditate flagraverat. Itaque subieci versus quibus, ut verba Athenaei demonstrant, unius ex So-

lis equis nomen et vim in anni tempestatem expresserat Euripides; Aethopa dicens, qui Bacchi florentis vindemias auctumni tempore maturaret. Secutus erat Euripides, (ut docemur ab Hygino, fab. CLXXXIII.) in eo quod singulis illis equis suam vim in tempestates adscriberet, Eumelum Corinthium, veterrimum poëtam historicum, ut appellat Ruhnkenius in Ep. Crit. II. p. 221. Is ἐν τοῖς κορινθιακοῖς Medeae historiam enarrans, Solis, cuius ea erat filia, res sine dubio attigerat. In nominis vero ab Eumelo excogitati ratione notandum, eum, ut solent veteres poëtae, proprium nomen fecisse ex epitheto; αἴθοπα dicens qui suis ignibus quae tangeret αἴθοπα facere putabatur: et sic Nonnus, p. 984. vs. 15. et p. 990. vs. 15. communi epitheto de Solis equis dixit αἴθοπες ἵπποι: et Propertius (El. II. 12. 32.) scribens:

Et citius nigros *sol agitabit equos.*

idem nomen mihi videtur reddere voluisse. Est enim adiectivi αἴθοψ duplex vis: significat nimirum quod uritur adeoque splendet; et quod ustum est, et sic quodcunque est fusco, obscuro colore, qualis etiam est, de quibus hîc sermo est, uvarum, cum illas iam solis calor concoxit: hinc, ne quid omittamus, poëtae etiam ulterius progressi omnia αὐχμηρὰ, sordida, vel etiam infausta adspectu αἴθοπα dixerunt: ut Hesiodus, Erg. 363. famem αἴθοπα dixit: idque epitheton mihi etiam in Theog. 227. restituendum videtur; ubi pro

ΛΗΘΗΝ τε, λιμόν τε, καὶ ἄλγεα δακρυόεντα,

legendum puto:

ΑΙΘΟΠΑ τε λιμὸν ἠδ' ἄλγεα δακρυόεντα.

Sed, quum horum nihil te fugiat, iam vides, quam absurdum, et ὕστερον πρότερον sit *vini* αἴθοπος dicti appellationem repetere a Solis equo *Aethope*: ut hoc inepti Grammatici commentum, sive Athenaeum deceperit, sive ex ipsis Athenaei verbis confictum sit, uncis notare ausus sim, ut Euripide indignum. Quem quantumvis Etymologiae studiosum, (vid. Valck. ad Phoen. vs. 27.) non tamen eo studio ita ablatum esse credo, ut in eiusmodi ad rerum magnitudinem composita narratione, ad talem μικρολογίαν, praesertim cum errore coniunctam descenderet. Antiquissimas in Euripide interpolationes, quarum multae histrionibus debentur, persecutus est Valckenarius ad Phoen. vs. 1286 et post eum Boeckhius in libro de Tragicis Graecis. Alteram in nostra fabula codice Claromontano antiquiorem esse infra ostendere conabimur.

Verba Clementis Alexandrini, ex quo tertius locus quem posuimus sumtus est, sunt haec: μὴ θίγῃς ἡνιῶν, παιδίον, ἄπειρος ὤν, μηδὲ ἀναβῇς τὸν δίφρον ἐλαύνειν μὴ μαθών: quae, cum aptissima Solis personae ad filium loquentis viderentur, iamdudum a viris doctis ad Euripidis Phaëthontem relata sunt. Sed quum consulto ligatae orationis numeros, ut saepe in Platone fieri videmus, Clemens solvisse videatur, quid in Euripide legerit difficile est dicere. Lectio quam praeeunte Matthiaeo posuimus

est Musgraviana: in qua nobis displicet ὦν, quod, πρὸς τὸ πίπτον τοῦ μέτρου, ut ait Lucianus, illatum, paulo frigere videtur in commota oratione, qualis hîc debet esse Solis: tum ridiculum videtur, ad Phaëthontem dictum, παιδίον: nam apud Ovidium quidem est, (Met. II. 54.)

Magna petis Phaëthon, et quae nec viribus istis
Munera conveniant, nec tam puerilibus annis.

Sed Phaëthon Euripideus uxorem ducit: et Matthiaeus Musgravii lectionem laudans non videtur meminisse, quod ad fragm. Melan. V. ipse monuit: verbum παιδίον apud Sophoclem et Euripidem non legi. Mihi in extremis huius verbi ductibus latere videbatur vox ὁδοῦ; sed quum multa mutare potuerit Clemens, ob causam quam dixi, et nihil occurrat quod certam veri notam habeat, quominus reliqua constituere coner verecundia prohibeor.

Sequitur nobilissimus, et laudibus a Longino cumulatus locus; quo habemus, post ultima Solis ad filium monita, Phaëthontis iam currum paternum moderantis a patre discessum. In quibus vexatus inprimis est versus, quem Matthiaeum sequuti cum Rutgersii coniectura dedimus:

πάτηρ δ' ὄπισθε νῶτα σειραίου βεβὼς
ἵππευε —

nam ante Rutgersium legebatur σειρίου: cuius coniecturae favere videntur codd. Longini habentes σειρείου. Sed primum hîc notandum est, librarios saepe diphthongum ει pro simplice ι inculcare: ut

in Orest. vs. 1705. est Τυνδαρείδαις pro Τυνδαρίδαις; βασιλεικοῦ pro βασιλικοῦ in fragm. Polyidi (II Matth.) quod in Diatr. p. 203. emendavit Valck. χρυσείη pro χρυσέῃ in fragm. Clar. (tab. III. vs. 26. in ed. Matth.), caet. Tum Solem in equo funali facere equitantem, quae est mens Rutgersii, Aristophaneo ioco mihi propius videtur quam Tragici gravitati: ut non mirer hanc coniecturam displicuisse viris doctissimis Salmasio et Toupio. Toupii rationem cum Salmasio Σειρίου legentis, et locum sic interpretantis: *Pater autem pone, dorso canis sideris invectus, equitabat*: his verbis explodit Matthiaeus: »Quasi vero Sirius comitetur Solis currum, ut hîc pater filium!" Quibus responderi potest aliud esse ὄπισθ' ἱππεύειν, aliud *comitari*; hoc de sidere soli vicino tantum dicas, illud etiam de eo qui in caeli paulo diversa parte locum habeat, sed cuius ortus solis ortum proxime sequatur: praesertim quum in rebus caelestibus versantes poëtae non semper summa diligentia uti soleant. Quid igitur si de stella in Canis maioris sidere, quam etiam hodie Sirium vocamus, cogitavit Euripides, eamque hoc versu paulo post Solem fecit orientem? — Erunt fortasse, qui astronomiam attigerunt, quibus hîc doctius fecisse poëta videatur quam vulgo suspicentur, et servare etiam voluisse traditionem, qua primi Phaëthontis fabulae conditores anni quoque tempus, quo res accidisset, significarant. Etenim notissimum est sub quovis climate unum esse anni tempus quo Sirii ortus

continuo solis ortum sequatur. Quodsi quaeris sub climate Aegypti superioris, sive Aethiopiae, ubi verisimile est fabulam Phaëthontis natam esse, in quodnam anni tempus hic Sirii ortus incidat, satis erit sphaeram inspicere; videbis tempus fere esse quum sol ingreditur sidus Geminorum: cui sideri proximum esse Aurigae signum, quem quidam Phaëthontem esse aiunt, etiam notandum est. Atqui mirifice cum his convenit apud Euripidem oratio Solis ad filium:

ἴει δ᾽ ἐφ᾽ ἑπτὰ Πλειάδων ἔχων δρόμον.

Nam in illo motu quo sol cum toto caelo quovis die circumfertur praecedit Geminos in Zodiaco Tauri sidus: itaque Phaëthonti Solis currum cum Geminorum sidere orientem agitaturo viam quasi praemonstrabant Pleiades, quae sunt in Tauro insignes. Quae igitur omnia, quum fortasse non ita fortuito conveniant, mihi pro lectione Σειρίου videntur dici posse. Sed quid, si non nomen proprium fecit Euripides: (quamquam in Hec. vs. 1102. sine dubio est proprium; etsi de Iph. Aul. vs. 7. rem incertam fecit Bremius in Mus. Helv.) et de quovis astro lucidiore locum accipi voluit? Nam Σείριος illam omnium lucidissimam stellam eximie dici, uti etiam τὸ ἄστρον dicitur, in usum venit quum origine σείριος nomen sit quo omnia astra possint significari: quum sit adiectivum a σεὶρ, barbarae originis solis nomine; itaque apud veteres poëtas vel quodvis illustre sidus, vel etiam solem significat: vid. Graev. in lect Hes. p. 47.

Ut mirum non sit etiam pro adiectivo sumi a Virgilio, (Aen. X. 273.) ubi scripsit *Sirius ardor*: et videndus est ad h. l. Heynius. — Satis videtur dictum ut habeat lectio σειρίου quo se tueri possit, et videamur posse Rutgersii illum equum funalem *solvere senescentem*. Neque tamen necesse videtur ut cum Toupio tam presse interpretemur: *pater — dorso canis sideris invectus*: nam Solem Canis sideris, vel cuiusvis tandem sideris dorso insidere non minus ioculare mihi videtur quam equus funalis Rutgersii; sed dicendum poëtas verbo νῶτα interdum abuti. Sic in Troad. vs. 375, legimus: ἀπήνας νώτοισι φέρῃ, quod si vertas, *currus dorso veheris*, ridiculum sit. Ut σειρίου νῶτα βεβὼς simpliciter vertendum videatur *Sirio vectus*: idque intelligendum, ex opinione veterum, *Sirii equis vectus*. Veteres enim non tantum Solem et Lunam, quod notissimum est, sed omnia astra, et omnino μετέωρα sibi fingebant currus, quibus Dii veherentur. Vid. Heyn. ad Virg. Aen. II. 418. Cuius opinionis vestigia etiam sunt in Euripide, ut in Troad. vs. 861. seq. Et in fragm. ap. Hephaest. de vs. asyn. (inc. Trag. n°. CXCVIII. Matth.)

ἑῶος ἡνίχ' ἱππότας ἐξέλαμψεν ἀστήρ.

etiam ἱππότας, ex heroici temporis more, intelligendum de eo qui currum moderatur. Ut locus, de quo dicimus, fere non plus habeat offensionis quam si scripsisset Euripides:

πάτηρ δ' ὄπισθεν ἅρμα Σειρίου βεβὼς
ἵππευε —

quamquam erunt fortasse qui sic Euripidem scripsisse existiment. Sed non reticeo si in locum tam longe librariorum captum superantem istorum hominum error ceciderit, quod admodum probabile est, aliam mihi emendationi viam apertam videri; modo statuamus nomen σείριος ut adiectivum ab Euripide positum esse. Quod si verum est, duabus tantum literis mutatis, exibit lectio quam Euripide indignam non putamus:

πάτηρ δ' ὄπισθε νῶτα σείρι' ἐμβεβὼς
ἵππευε.

Non enim νῶτα σείρια minus bene dictum puto ab Euripide quam ἕσπερα νῶτα in Electr. vs. 735. et idem significat quod ἀστεροειδέα νῶτα in Androm. fragm. I. Matth. Qui locus describendus est, est enim elegantissimus, ut libenter legas, et mirifice cum nostro loco, qualem hîc fuisse nobis fingimus, convenit. Est autem huiusmodi:

Ὦ νὺξ ἱερὰ,
ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ'
αἰθέρος ἱερᾶς,
τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου.

Ultimo loco non sine argumento, ut opinor, ad nuntii orationem retulimus versus quibus Plutarchus utitur ad fragilitatem humanae conditionis universe significandam; sed quibus propriis inprimis usus videtur poëta in exitu Phaëthontis describendo. Fulmine enim correpti, in immani casu, vitam simul cum flamma exstinctam egregie

significant illa:

ὁ δ' ἄρτι θάλλων σῶμα, (vel σαρκὰ, ut alibi habet Plutarchus) διοπετὴς ὅπως

ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς ἐς αἰθέρα.

Et opinioni probabilitatem etiam hoc conciliat: alterum locum, ubi sic verbo ἀπέσβη de moriente utitur Euripides, in eodem genere mortis exprimendo versari: est enim in Medea, (vs. 1227.) de Creonte magicis Medeae ignibus consumto:

χρόνῳ δ' ἀπέσβη καὶ μεθῆχ' ὁ δύσμορος

ψυχήν. —

Et eodem fortasse verbo usus erat de Meleagro simul cum fatali titione exstincto; de quo Ovidius, (Met. VIII. 523.) loco in quem plurima Euripidea videtur transtulisse:

. . . . Simul est exstinctus uterque:

Inque leves abiit paulatim spiritus auras.

Sed verba διοπετὴς ὅπως ἀστὴρ in ipso de Phaëthontis morte loco expressit: (Met. II. 319 seqq.)

At Phaëthon, rutilos flamma populante capillos,

Volvitur in praeceps, longoque per aëra tractu

Fertur; ut interdum de caelo stella sereno.

Valckenarius, qui in Diatr. p. 56, seq. locum Plutarchi unde haec sumta sunt emendavit, ultima sic constituit:

. . . . . πνεῦμ' ἀφεὶς ἐς αἰθέρα

μιαρὸν δὲ σῶμα. (pro μικρὸν.)

docens sequentia verba in Plutarcho, quibus viri docti versum suppleverant, ipsius Plutarchi esse. Quodsi vero haec, ut mihi videtur, ad Phaëthon-

tis casum pertinent, fortasse Euripides scripsit: πέδονδε σῶμα. (Soph. Trach. 789. eamdem habet Homericam formam; πεδόθεν est apud Eurip. Troad. 98.) Videtur enim cui haec in verbis oppositio, (τὰ μὲν ἐς αἰθέρα, τὰ δὲ ἐς γῆν,) inprimis in hac re placuerit, hîc sponte eam cogitare debuisse. (Cf. loca a Valck. ibid. pag. 55, seq. citt.)

Erunt fortasse qui hîc nos omisisse putent versus particulam ex Euripide laudatam a Grammatico in Anecd. Bekk. vol. I. p. 362. (fragm. inc. Trag. CCXLVIII. Matth.)

δράκοντος αἱματωπὸν ὄμμα —

nam ita legendum esse pro αἷμα eo minus dubito, quod video id etiam Boissonadio placuisse. Potest enim dictum videri de draconis coelestis ira in Phaëthontem sine more per coelum vagantem, de quo etiam apud Ovidium est, Met. II. 173, seqq.: nam αἱματωπὸν ὄμμα dicitur de oculis quum, ira, vel quovis vehemente animi motu calente, sanguine implentur, et turgent. Sic αἱματηρὸν ὄμμα est in Iph. Aul. vs. 381: res autem pluribus verbis describitur in Herc. Fur. vs. 935. et Tragicorum rursus sermonem imitatus Virgilius, (Aen. IV. 643.) *Sanguineam volvens aciem* dixit. Eamdem rem alio verbo significavit Cicero, (or. in Vatin. c. 2.) ubi dicit: *Repente enim te, tanquam serpens e latibulis*, oculis eminentibus, *inflato collo*, *tumidis cervicibus intulisti.* Sed mihi ex omni illa Phaëthontis per signa caelestia errantis, et secutae totius mundi conflagrationis ambi-

tiosa descriptione, in qua Ovidius et Nonnus sibi placuerunt, nihil in Euripide fuisse puto. Etenim absurdum esset, Meropem, quem paulo post, ut est in fragm. II. Clar. vs. 32. seqq. in sacris nuptialibus occupatum in scenam redire videbimus, nihil in tanta naturae rerum conversione sensisse; nihil, ne ominis quidam causa, timuisse. Itaque ne fulminis quidem strepitum, ut putat Goethius, qui caeterum hîc mecum facit, (l. l. pag. 26. seq.) a choro auditum esse credo: in Euripidis autem narratione iuvenem, vix coelum invectum, animo turbatum, et fulmine tactum esse; et sic patrem continuo currus moderamen recepisse. Etiam sic apud Nonnum, (p. 990. vs. 8.) statim Iupiter, iacto fulmine,

ἵππους ἠελίῳ πάλιν ὤπασεν, αἰθέριον δὲ
(*) αὐτολίῃ πόρεν ἅρμα —

et Lucianus, (Dial. fab. 12.) rem ut solet in iocum vertens, sic Iovem facit ad Solem loqui: σὺ δὲ συμπηξάμενος τὸ ἅρμα, κατέαγε γὰρ καὶ ὁ ρυμὸς αὐτοῦ, καὶ ἅτερος τῶν τροχῶν συντέτριπται, ἔλαυνε ὑπαγαγὼν τοὺς ἵππους. Sed sunt quaedam hoc loco quae maiore cum verisimilitudine ad Euripidem possent referri, ut a Luciano per iocum in suum sermonem ex Tragoedia translata. Euripidea certe mihi quaedam

(*) Verbum in lexica quantum scio non receptum, ex αὐτὸς quod hic idem valet atque in αὐτόματος, et subst. λία, i. e. *vis*, *impetus*, ex quo in usu remansit adv. λίαν.

videntur in his quae de Phaëthonte dicuntur ὁ δὲ, παῖς γὰρ ἦν, ἐπιβὰς τοσούτου πυρὸς καὶ ἐπικύψας ἐς βάθος ἀχανὲς ἐξεπλάγη, ὡς τὸ εἰκός: ubi vero Iupiter ad Solem ait: εἴσῃ ὁπόσον τοῦ σοῦ πυρὸς ὁ κεραυνὸς πυρωδέστερος, iam Euripidem mihi audire videor:

. . . . ἔγνω δ' ὅσον
πυρωδέστερος κεραυνὸς ἐστιν Ἡλίου πυρός.

utriusque certe loci vestigia sunt apud Ovidium. (Met. II. vs. 178 seqq. et 313.)

Clymenam, audito nuntio de interitu filii, in scena dixisse, — *quaecumque fuerunt In tantis dicenda malis*, perpetuus Tragoediae mos dubitare nos non sinit. Sed puto eius querelis interpositum fuisse carmen chori, egregium si unquam Lyrici carminis argumentum nacti. Quod fieri potuit Clymena viribus deficiente, ut in cognomine fabula Hecuba: (vid. vs. 438 seqq.) Versus certe quos superstites habemus, a Clymena mortuo filio prolatos, eius generis sunt, ut orationi conveniant illius in quo iam acerrimi primi doloris stimuli conquieverunt. Qualis affectus quidem plena sed quietior oratio post chori carmen optime sequi potuit. Versus de quibus dico servavit Plutarchus: hos quidem, in Cons. ad Ux. p. 608, commemorata Clymenae persona: (vid. fragm. VII. Matth.)

. . . . μισῶ δ' * εὐάγκαλον
τόξον κρανείας, γυμνάσια δ' οἴχοιτο [μοι.]

sequentes vero diserte significans a Clymena in mortuum Phaëthontem dictos esse: (Sympos. p. 665.

. . . .

vid. fragm. VI. Matth.)

. . . . φίλος δὲ μοὶ
ἀλλ' οὗτος ἐν φάραγξι σήπεται νέκυς.

Priore loco putat Matthiaeus Clymenam dicere de suis exercitationibus quas post mortem filii omissura esset. Sed haud scio an nulla mulierum gymnasia nota sint praeter illa puellarum Laconicarum, acerbissimis verbis ab Euripide reprehensa in Androm. 596 seqq. Et ex Plutarchi verbis confici potest, de quibus hîc dicitur Phaëthontis esse μνήματα, quae ut dolorem adspectu renovantia matri odio esse coepissent. Itaque Heathius, a quo etiam est μοι in fine secundi versus, locum, quem metrum corruptelae arguit, supplevit μισῶ δὲ τοῦδ'. — Sed potuit, ut opinor δεικτικῶς dictum esse in ipsum arcum, qui, more temporum heroicorum, ante aedes fixus visebatur, a Phaëthonte alicui Deo consecratus. Erant enim ante aedes posita Deorum simulacra, Ἀντήλιοι θεοί, quorum teste Hesychio mentionem fecit Euripides in Meleagro, (vid. fragm. Mel. XXII.) et de quibus etiam in Hippolyto, vs. 73 seqq. et 101. cogitandum videtur. Itaque verba Clymenes videntur fuisse: — μισῶ δὲ τοῦτ' εὐάγκαλον τόξον κρανείας. — Gymnasia autem adspicere refugiebat mater quod in iis Phaëthon educatus erat: cf. Phoen. vs. 380 seqq. Locus affectu omnino convenit cum Admeti oratione in Alcestide: (vs. 962 seqq.)

πῶς γὰρ δόμων τῶνδ' εἰσόδους ἀνέξομαι;
. . . . ;

ἡ μὲν γὰρ ἔνδον ἐξολεῖ μ' ἐρημία,
γυναικὸς εὐνάς· εὖτ' ἂν εἰςίδω κενὰς
θρόνους τ'., ἐν οἷσιν ἵζε, —

Sed vix me contineo quin omnia describam. Adeo me illa naturae ipsa vox, et incorrupta simplicitas in poëta delectat.

In alterum locum elegans est Musgravii coniectura, ἄλουτος pro ἀλλ' οὗτος. Neque tamen vulgatam mutari velim. Pertinet, ut mihi videtur, locus, quem ut notissimum non totum apposuit Plutarchus, ad Clymenes orationem, qua, demonstrata priore Phaëthontis fortuna, fortasse etiam spe nuptiarum, et filii caritate, subito se convertebat, post haec, φίλος δέ μοι subiiciens: ἀλλ' οὗτος ἐν φάραγξι σήπεται νέκυς. Notandum hîc est, poëtas de re absente saepe pronomine demonstrativo uti, praesertim quum eum animi motum, quo quod abest quasi oculis cernere nobis videmur, significare volunt. Sic in Troad. (vs. 966.) Helena de Deiphobo, (qui iam mortuus erat,) loquens:

βίᾳ δ' ὁ καινός μ' οὗτος ἁρπάσας πόσις
Δηΐφοβος ἄλοχον εἶχεν. —

Quod Latine per *ecce* reddi possit. cf. Androm. vs. 710. Iph. Aul. 72. Helen. 287. et iam Homerus hoc loquendi genere usus est: vid. Odyss. Δ. 26. ubi id clarissimum virum Ernestum videtur fugisse. — In eiusmodi autem orationis conversione, de quo modo dicebam, frequens usus est particulae ἀλλά, vel δέ. Vid. Suppl. 1102. Med. 1039 seqq. Iph. Taur. 366 seqq. Bacch. 1309 seqq. ubi

similes sunt loci. Nam eiusmodi oppositione delectantur poëtae, qua, proposita quae fuerat meliore spe, infelicem exitum subiungunt. Egregio in hoc genere elaboratus artificio est locus Virgilii, in Aen. lib. XI. 49.

Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis! —
Nos iuvenem exanimum, caet.

Ex verbis ἐν φαράγξι quibus utitur Clymene verisimile fit, de quo mox disputabo, ei narratum esse a nuntio, Phaëthontis corpus in mare vel in littus praecipitatum esse. Est enim φάραγξ primum simpliciter *antrum* ut in Cycl. 668. tum omnino in montibus loca angusta et profunda significat: sic Lex. Seguer. in Anecd. Bekk. p. 463. verbum αὐλῶνες explicat: φάραγγες ἢ τόποι πλατεῖς περὶ τὰ ὄρη: lege βαθεῖς, ut est in Plut. Caes. p. 719. A: βαθεῖς καὶ ὑλώδεις αὐλῶνας. Quae loca, quum plerumque aquarum vi eo decurrentium infesta sunt, quarum mentio plerumque adiungitur, ut in Troad. vs. 452 seq. hinc dicitur etiam de locis in littore saxosis et praefractis, quibus aestus maris absorbetur. Sic, in Iph. Taur. vs. 278, pastor φάραγγα appellat locum quem antea sic descripserat:

ἦν τις διαρρὼξ κυμάτων πολλῷ σάλῳ
κοιλωπὸς ἀγμὸς πορφυρευτικαὶ στέγαι.

Et sic etiam φάραγγες dicuntur in Alcmanis loco apud Apoll. in Lex. Hom. voc. κνώδαλον, ubi ex adiunctis manifestum, loca mari vicina poëtae ante oculos canenti fuisse. Locum elegantem, anti-

quissimae poëseos Lyricae monumentum, quamquam minus ad rem pertinet, non descripsisse poenitebit. Sic igitur videtur constituendus:

Εὕδουσ' ὀρέων κορυφαί τε, καὶ
φάραγγες, πρώωνές τε, καὶ
χαράδραι· φῦλα θ' ἑρπετῶν θ',
ὅσα τρέφει μέλαινα γαῖα,

θηρῶν τ' ὀρεσκῴων· γένος
τε καὶ μελισσῶν· κνώδαλ' ἐν
βενθέσσι πορφυρᾶς ἁλὸς
εὕδουσιν, οἰωνῶν τε φῦλα

τανυπτερύγων —

Sed opportune videtur maris mentionem hîc fecisse Euripides, ut maiore cum verisimilitudine fingeret Phaëthontis corpus continuo repertum esse. Quod necesse erat ut illa mors Meropi innotesceret, et sic res ad exitum perduceretur, ad certam videlicet Phaëthontis natalium ἀναγνώρισιν: nam Clymena culpae sibi conscia de morte filii tacuisset, et chorus in Tragoedia semper *tegit commissa.* Haec igitur sic videtur poëta disposuisse. Ab ancillis, quas in fragm. Clar. II. (vel IV. Matth.) vs. 4. alloquitur Clymene, ad mare (cuius in conspectu, ut supra vidimus, regia Meropis sita erat,) missis; fortasse ad aquam hauriendam, qua opus esset propter nuptias in aedibus lustrandis: nam, ut est in Iph. Taur. vs. 1201. θάλασσα

κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά: ab his igitur corpus in littore reperiri potuit; pari artificio quo in Hecuba famula similem ob causam ad mare descendens in Polydori corpus incidit. Quo corpore, ut erat fulmine tactum, fumante ad Clymenam in scenam perlato; incidit illa in magnam perturbationem, iam sibi timens, ne ex genere mortis maritus etiam causam suspicetur, et cuius culpa Phaëthon in poenas incurrerit divinas intelligat. Atque hîc locum habere potuerunt verba quae ex Plutarcho, (Symp. p. 666.) ad fragm. VI. attulit Matthiaeus:

πολλούς γε βροντῆς πνεῦμ' ἄναιμον ὤλεσεν.

quibus, nisi forte sunt Clymenes in extrema fere fabulae parte se purgantis apud maritum, mihi videtur chorus hunc terrorem Clymenae eximere voluisse. Posui γε, pro γὰρ quod metrum vitiat ab ipso Plutarcho profectum. Πνεῦμ' ἄναιμον fulminis dicitur, quoniam saepe homines ita interimit ut nullum vestigium vulneris aut sanguinis appareat: idque mihi verius videtur quam τραῦμ' ἄναιμον, quae est altera huius loci lectio, ex Theone Smyrnaeo a Matthiaeo commemorata; cf. Musgr. ad Soph. Phil. 1178. (Erf.) Sed si haec eo consilio quo puto dicta sunt, frustra ad Clymenam dici ex sequentibus intelligitur, quae iam in fragm. II. Claromontano habemus. Nimirum fumum fulminis indicem corpus spargere animadvertens, et mariti supervenientis vocem iam audiens, ne quid ille sentiat, imperat ancillis, ut in regiam asportent corpus, quod ibi in gaza Meropis abscondat. Illis igitur sic aedes ingressis, proce-

dit in scenam Merops, puellas sine dubio Hymenaeum cantaturas ad regiam ducens: quem statim, ne quid suspicetur, excipit chorus carmine nuptiali. Nec quidquam magis tragicum, et Euripidis ingenio dignius novi, quam illud dulce et ad laetitiam compositum carmen in re tam dira interiectum. Neque tamen Regem res diu latere potest: nam redit famulus, quem ille miserat ad puellas domum introducendas, ex regia commotus: in loco enim ubi thesaurus domini servatur, inquit, per valvas fumus penetrat, et per totam domum spargitur: videat Rex ne omnia incendio corripiantur. Merops, cuius ex omnibus dictis senilis tarditas et summa securitas egregie apparent, vix tandem movetur ut videat quid sit. Itaque intrat regiam: tum vero omnia timens chorus, et in summa animi perturbatione, vel potius aestu, egregium, et rei accommodatum carmen canit, quod mox abrumpit, audito Meropis post scenam eiulatu.

Haec sunt in folio II codicis Claromontani: cuius duo primi versus, ubi loquitur Clymene de fulminis indiciis in corpore Phaëthontis, difficillimam habent explicationem: nam et vitiosissime a librario scripti videntur, et quae ille scripsit tam male habita sunt ab eo qui codicem ad aliud opus adhibuit, ut aliae literae paene evanuerint, aliae prorsus sint deletae. Ut dicas hîc valere, quod in vetere epigrammate est: *concurrite omnes augures, haruspices.* Bekkerus quae sibi legisse

videbatur sic in apographum retulit:

πυρος θερινυς ἐν νεκροῖς θερηνυαι
ζωσα ηδ' ἀνίησι ἀτμὸν ἐμφανη

quod fere convenit cum apogr. Hasîano, praeterquam quod in eo in fine primi versus est θερηιων, omnibus literis, praeter primam et tertiam, ut incertis notatis. Ex quibus Hermannus haec effecit:

πυροῦσσ' Ἐριννὺς ἐν νεκροῖς θερήϊον
ζῶσ' ἤδ' ἀνίησ' ἀτμὸν ἐμφανῆ —

monens in fine suppleri posse καπνοῦ. Neque tamen sic locum viro doctissimo puto placuisse: inprimis propter insolentiam formarum πυροῦσσα et θερήϊον in trimetris. Quid mihi in mentem venerit simpliciter dicam, si forte id eos qui postea codicem Claromontanum tractabunt ad veri vestigia indaganda iuvare possit. Mihi videtur Euripidem scribere potuisse:

πυρός τ' Ἐριννὺς ἐν νεκροῦ στέρνοις ἔτι
ζῶσ' ἤδ' ἀνίησ' ἀτμὸν ἐμφανῆ [φλόγος.]

i. e. ut opinor: *ignisque haec ultrix vis quae in mortui pectore adhuc spirat emittit vaporem manifestum fulminis indicem.* Quod bis, si quidem vere coniecimus, librarius Θ pro T posuit, videtur homo graece valde indoctus tenues et adspiratas non satis sono inter se distinguere potuisse: sic in verbis λεχεα θ' ἀλιου (vid. apogr. Has. in ed. Matth. tab. IV. vs. 28.) τ pro θ videtur scripsisse: eiusdem generis est quod ἀγει pro ἀχεῖ scribit, (vid. tab. I. vs. 30.) et forte διχαιον pro δίκαιον, tab. II. vs. 4. Aliud huius hominis perpetuum

peccatum est quod literas elidendas adscribat, ut hîc fecit in ζῶσα et ἀνίησι. Ad lectionem νεκροῦ commendandam pertinet, quod viri docti monuerunt, I et Υ saepe in codice distingui non posse. Quod ad sensum attinet, mihi videtur Clymene recte dicere posse πυρὸς ἐρινὺς pro πυρὸς βία, quoniam hoc igne vindicata erat culpa, qua, spretis viri monitis, filii mortem maturaverat: ἔτι ζῶσα dicitur ut in Bacch. vs. 8. ἔτι πυρὸς ζῶσαν φλόγα. Denique φλὸξ absolute etiam fulmen significat in Alc. vs. 4, ubi est στέρνοισιν ἐμβαλὼν φλόγα. Nam solent poëtae, ubi de fulmine percussis sermo illis est, στέρνα commemorare. Sic de ipso Phaëthonte Apoll. Rhod. IV. 497.

ἔνθα ποτ' αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ
ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο.

et de Aiacis Oilei interitu Virgilius, (Aen. I. 44.)

Illum exspirantem transfixo pectore *flammas*
Turbine corripuit —

ubi quidam perperam legerunt *corpore*, vel *tempore*.

In eadem oratione Clymenes, vs. 6 seq. quum in ed. Herm. legatur:

ἴθ' ὡς πόσις μοι πλησίον γαμηλίους
μολπὰς ἀϋτεῖ, παρθένοις ἡγούμενος.

miratur Matthiaeus Meropem patrem hymenaeum canere. Vide igitur an scripserit Euripides, quod a scriptura apographi Has. non multum discedit: μολπὰς ἀνάπτει, i. e. ἐγείρει, *ciet*: vid. Hesych. in voc. quomodo etiam Latini utuntur verbo *incen-*

do: vid. Heyn. ad Virg. Aen. X. 895. Et sic *γόον φλέγουσα* videtur dixisse in Andromeda Euripides: (ap. Aristoph. Thesm. vs. 1041.)

Paulo post sunt versus eo memorabiles quod insigni varietate lectionis scribuntur a Macrobio, Sat. I. 17. et a Schol. ad Orest. vs. 1373. (Matth.) In codice enim Claromontano, ut Bekkerus legit, Clymenae oratio sic clauditur:

ὦ καλλιφεγγὲς ἥλιε, ὥς μ' ἀπώλεσας
καὶ τόνδε. ἀπόλλων δ' ἐν βροτοῖς ὀρθὸς καλῇ,
ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων.

Macrobius habet:

ὦ χρυσοφεγγὲς Ἥλι' ὥς μ. α.
ὅθεν σ' Ἀπόλλων' ἐμφανῶς κλήσει βροτός.

Scholiastes:

ὦ καλλιφεγγὲς Ἥλιον ὥς μ. α.
καὶ τοῦδ' Ἀπόλλων οὕτως εἰ κλήζει βροτοῖς

Hermannus codicis lectionem sic correxit:

ὦ καλλ. ἥλι' ὥς μ. α.
καὶ τόνδ'· Ἀπόλλω δ' ἐν βροτοῖς σ' ὀρθῶς καλεῖ
ὅστις, κ. τ. λ.

Et in verbis *βροτοῖς ὀρθὸς* error librarii facillime agnoscitur; sed in Ἀπόλλων, vel potius Ἀπόλλων' videndum an non fideliter reddiderit lectionem ab interpolatoris manu profectam, qui ignoraverit hanc formam Atticis in usu non fuisse: vid. Porson. ad Orest. vs. 584. quod accidisse etiam videtur Macrobio, memoriter, ut opinor, versus laudanti. Nam etiam hoc mirari subit, nullum tertii versus vestigium esse apud Macrobium et Scholiastem,

quamquam ab eorum consilio eum adiicere alienum non erat, et arctissime, uti locus in cod. Clar. scriptus est, cum reliquis cohaeret. Quaeri etiam potest an σιγῶντα ὀνόματα dici possint nomina Deorum quibus obscure ipsorum vis et natura significetur, de quo Matthiaeus dubitavit, nos doctioribus relinquimus disputandum. Sed hoc auserim affirmare frigidum esse hunc exitum et paene ridiculum, post turbatissimam et terroris plenam Clymenes orationem. Itaque non sine argumento putamus, interpolatoris manum hîc grassatam esse, grammatici veteris, vel histrionis, cui quae Euripides scripserat obscura viderentur. Genuinae scripturae vestigia exstare arbitror in corruptissima Scholiastae lectione: apud quem οὔτως nasci potuit ex ὡς pro compendio scripturae habito, et pro εἰ legendum εὖ: ita haec fere in Euripide fuerint:

ὦ καλλιφεγγὲς ἥλι' ὥς μ' ἀπώλεσας!
καὶ τόνδ'! — Ἀπόλλων ὥς σύ γ' εὖ κλῄζει βροτοῖς.

Ut quum dixerit Clymena ὥς μ' ἀπώλεσας, filium ostendat, gravius verbum quaerat, neque efficacius inveniens ad prius redeat, addatque ex interpretatione nominis ab Archilocho iam celebrata: (vid. Macr. l. c.) *Ut certe Apollo recte diceris mortalibus.* Est in Hecuba (vs. 1120) similis locus, ubi Polymestor:

Ἑκάβη με σὺν γυναιξὶν αἰχμαλωτίσιν
ἀπώλεσ' — οὐκ ἀπώλεσ' ἀλλὰ μειζόνως.

Sequitur carmen nuptiale, (fr. Clar. II. Herm.

vel IV. Matth. vs. 14 seqq.) in quo multa supersunt de quibus quaeri potest. Ita vs. 18 seqq. locus est ita editus ab Hermanno:

. . . . . σοὶ τάδ' ἐγὼ νυμφεῖ' ὀφείλω,
Κύπρι, θεῶν καλλίστα,
τῷ τε μονόζυγι σῷ
πώλῳ, τὸν ἐν αἰθέρι κρύπτεις
σῶν γάμων γένναν.

Ubi non satis perspicio cur μονόζυγι pro νεοζυγι, quum νεοζυγιστω planissime in codice legatur, repositum sit. Videtur enim Euripides recte amoris Deo tribuisse quod proprium est amantium, quos quodcunque cupidini obstat moleste ferentes et ferocientes haud semel cum animalibus iugo nondum assuetis composuerunt poëtae. Notus est locus Propertii, (Eleg. II. 2. 11.)

Ac veluti primo taurus detractat aratro,
Mox venit adsueto mollis ad arva iugo;
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces.

quem ipsum locum ex Euripide expressum esse monuit Wyttenb. bibl. crit. part. VI. pag. 13. (vid. fragm. Aeol. XIX. Matth.) Sed etiam ὁ σοφὸς (τὰ ἐρωτικὰ) Ovidius fecit quod hîc Euripides, amorem sibi fingens ut πῶλον νεόζυγα, in art. am. I. vs. 8 seqq.

. . . . *Automedon dicar Amoris ego.*
Ille quidem ferus est, et qui mihi saepe repugnet
Sed puer est; aetas mollis et apta regi.

Porro verbum κρύπτεις habet in quo offendere possimus, et minime convenit cum scriptura codicis,

in quo leguntur literae ΔΑΥΩΝ: non tamen omnino Euripidi abiudicem; potest enim dici, poëtam cogitasse Amorem a Venere in nubibus quasi in insidiis collocari: quamquam sic aptius erit κλέπτεις quod Bakio placebat. Nam apud Homerum quidem, quantum memini, semper αἰθὴρ est illud *sublime candens*, ut Ennianis verbis utar, quod sereno coelo videmus; sed recentiores poëtae hoc verbo abutuntur ut simpliciter aërem, etiam in quo sunt nubes, significent. Hinc dicuntur apud illos αἰθέρος πτύχαι, (in quibus Helena sedere dicitur in Orest. vs. 1665.) αἰθέρος εἴδωλον, (Phoen. 1584.) et similia. Vide tamen an Euripides scripserit, quod a codicis scriptura fere non discedit: ὃν ἐν αἰθέρ' ἰαύεις, vel sine elisione, ι in ἰαύεις pro consonante habita, de quo vid. Herm. El. doct. matr. p. 55. accipio autem ἰαύεις pro κοιμίζεις: vid. loca in Indice Euripideo citt. Ita Δ paulo insolentius scriptum erit Α quod postea librarius repetivit: nam terminationes ων et εις etiam aliis locis in his fragm. confunduntur. — Sequuntur in carmine haec:

ἃ τὸν μέγαν
τᾶςδε πόλεως βασιλῆ νυμφεύετε,
ἀστερωποῖσιν δόμοισι χρυσέοις
ἀρχὸν, φίλον Ἀφροδίτα

In quibus illud displicet, orationem ad solam Venerem institutam continuari per verbum νυμφεύετε: tum in eadem oratione de Venere in tertia persona ut aiunt loqui chorum, quasi haec dicat: ὦ

Ἀφροδῖτα — νυμφεύετε — ἀρχὸν φίλον Ἀφροδῖτα. Vitari hoc potest si sic legimus:

σὺ τὸν μέγαν
τᾶςδε πόλεως βασιλῆ νυμφεύσεις, (vel νυμφεῦ' ὦ)
ἀστερωποῖσιν δόμοισι χρυσέη
ἀρχὸν φίλον Ἀφροδῖτα.

In codice totidem literis est χρυσειην, ubi N mihi nihil aliud videtur quam litera H a librario temere repetita: vide simile peccatum in apogr. Has. tab. IV. vs. 6. Verbi νυμφεύετε, uti edidit Herm., extremi ductus vix possunt legi in codice. Bekkerus legebat νυμφεύεται, sed in apogr. Has. syllaba ται pene oblíterata est, ut mihi videatur ω esse potuisse. Facilius fortasse esset de hoc loco sententiam dicere, si verbi in stropha positi, cui hoc respondet, certa esset scriptura; sed ibi editum quidem est,

τὰν Διὸς οὐρανίαν ἀείδομεν,

verum in apogr. Has. non est ἀείδομεν sed ΕΙΔΟΜΕΝ, ut aliud quid ibi possit latere: forte εἰδόμην, i. e. non modo *videam*, sed *praesentis numen sentiam.* Cuius verbi in eadem significatione aliud exemplum videtur esse apud Theogn. vs. 12. ubi, pro vulg. εἴσατο, in optimo et antiquissimo codice Mutinensi Bekkerus invenit εἴσατο, etiam glossa adscripta *cognovit.* In verbis autem ἀστερωποῖσι δόμοισι, quod me Bakius monuit, chorus obscure votum significat, Phaëthontem, cuius mortem non ignorat, in coelum receptum esse. Neque tamen praetermittendum in cod. non esse ΑΡΧΟΝ sed

ΑΡΧΕΟΝ: quod si quid est, fortasse legi debet, reliquis ut emendare voluimus servatis:

. . . . χρυσέη
ἄστρον φίλον Ἀφροδίτᾳ.

Ut a verbis σὺ τὸν, oratio ad Hesperum convertatur isque dicatur βασιλῆ νυμφεύσειν, quod eius ortu Regi licebit sponsam in thalamum abducere. Cuius generis orationis exempla sunt in poëtis utriusque linguae, Sapphone, fr. XXII. Wolf. et Catullo in celebrato illo epithalamio. Nota autem est ex Virgilio, Aen. VIII. 590., stella

Quam Venus *ante alios astrorum* diligit *ignes*.

Versu 27 denique, in eodem carmine, editur:

ὦ μάκαρ, ὦ βασιλέως μείζων ἔτ' ὄλβον,
ὃς θεὰν κηδεύσεις.

quae Hermannus eruit ex Bekkeri, qui solus hunc locum describere tentavit, lectione,

ωμακαρων βασιλευς μειζωνστολβος.

Fortasse legendum:

ὦ μάκαρ ᾧ βροτέου μείζων ἐστ' ὄλβος

ex Hippol. vs. 19. — Caeterum hic est locus ex quo novimus, Phaëthontem in hac fabula Deam sibi desponsam habuisse: quae illa fuerit, quum viri doctissimi se ignorare fateantur, de eo certum quid dici posse vix sperandum est: (vid. Herm. in praef. pag 6.) sed Euripidem in eo veteris poëtae auctoritatem secutum esse ex Hesiodo suspicari licet: apud quem, (in Theog. vs. 988 seqq.) de Phaëthonte, sed Aurorae et Cephali filio, dicitur:

τόν ῥα νέον, τέρεν ἄνθος ἔχοντ' ἐρικυδέος ἥβης,
παῖδ' ἀπαλὰ φρονέοντα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
ὦρτ' ἀνερειψαμένη, καί μιν ζαθέοις ἐνὶ νηοῖς
νηοπόλον νύχιον ποιήσατο, δαίμονα δῖον.

Quamquam ex loco carminis nuptialis de quo modo diximus, ubi verbo νυμφεύειν activa forma de Venere utitur chorus, si vere ita legitur, patet, hanc quidem deam Phaëthonti in Euripide non nubsisse. Equidem, quum tam varie Phaëthontis res a poëtis traditae sint, fere inducor ut credam, quam hîc illius matrem fecerit Hesiodus Auroram, alios uxorem dixisse, idque Euripidem secutum esse. Nam de viro mortali ab Aurora in connubium recepto multiplex fuit fama poëtis, ut ex fabulis de Orionis, Cephali, et Tithoni amoribus notum est. Vid. Apollod. I. 4. III. 12. et III. 14. Eoque fortasse pertinuit quod supra in Strabonis loco legimus; Euripidem etiam Aurorae ἱπποστάσεις Meropis sedibus vicinas fecisse: quas τέμενος nomine videtur demonstrare Merops, in fragm. Clar. II. vs. 42. Herm. i. e. V. vs. 1. Matth.

Vs. 33 seqq. est oratio Meropis famulum cum mandatis ad uxorem domum mittentis: in quibus sunt etiam haec in ed. Hermanni:

γυναῖκ' ἄνωχθι πᾶσι τοῖς. κατὰ στόμα
θεοῖς χορεῦσαι. —

ita supplevit Bekkerus, quum in cod. tantum legatur κατὰ στ —. Et dicitur quidem θεοὺς ἔχειν ἀνὰ στόμα, ut in Electr. vs. 80. sed vere videtur disputasse Matthiaeus τοῖς κατὰ στόμα θεοῖς hîc locum esse non

posse: itaque commemorat Boissonadii supplementum κατ' ἀστέρας. Sed sine dubio scripsit Euripides:

. . . . . πᾶσι τοῖς κατὰ στέγας
θεοῖς χορεῦσαι.

vid. Alc. 168. Herc. Fur. 610. Et hic locus cum illo ex Herc. Fur. est ex illis ubi θεοὶ dicuntur pro ἀγάλματα θεῶν: quo pertinet illud Horatii, Carm. IV. 4. 48. *Fana deos habuere rectos:* et dictum Siculorum apud Ciceronem, Div. in Caec. cap. 1. *Sese iam ne Deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset.*

Huius denique fragmenti Clar. II. (V. Matth.) versus penultimus est ex iis quorum Ovidius meminit quum in rebus Phaëthontis ornandis versabatur. Chorus enim Meropis vocem filium clamantis exaudiens ait:

καλεῖ τὸν οὐ κλύοντα δυστυχῆ γόνον.

Apud Ovidium, (Met. II. 341.) de Heliadibus dicitur:

Munera dant lacrymas: et caesae pectora palmis
Non auditurum *miseras Phaëthonta querelas*
Nocte dieque vocant.

Iam de exitu fabulae si quaeris, nullus mihi veterum locus cognitus est ex quo aliquid certi de ea re dicere possimus. Sed si quae praecedunt ea diligentius spectamus, et quali artificio in aliis fabulis absolvendis utatur Euripides in mentem revocamus, videmur huius ultimae Phaëthontis

partis quasi lineamenta quaedam posse ducere. Nimirum puto factum quod Clymene tantopere verebatur, et, reperto Phaëthontis corpore, statim Meropem suspicione in uxorem percussum esse: etenim fulminis indicia Phaëthontis quoddam facinus a Diis vindicatum declarabant, et culpam Clymenes arguebat ipse locus ubi corpus absconditum lateret; de quo loco ipsa dixerat, (fragm. II. Clar. (IV. Matth.) vs. 10.) μόνη δὲ κλῇθρ᾽ ἐγὼ σφραγίζομαι: ut multa cum arte haec praetexuisse poëta videatur. Oportuit autem Meropi, qui Phaëthontem suum filium esse putaret, post huius interitum illam opinionem magis etiam quam antea fixam inhaereret. Quid enim, si vere Solis filius fuisset, an currum non rexisset? an fulmine a Iove tactus esset? Ita quum criminibus coarguta Clymene ad mortem raperetur, poëtae dignum visum esse puto nodum vindice Deo, qui Clymenam absolveret, Phaëthontis genus coelo adsereret, Meropem consolaretur: commemoratis praesertim honorificis ad Eridanum Phaëthontis exsequiis, et secutis divinis honoribus; in quibus haud scio an etiam illud fuerit, quod apud Nonnum l. c. p. 990, legimus Phaëthontem in signa coelestia receptum esse: ut est de Helena in Oreste, (vs. 1716 seqq.) Has partes Soli tributas esse non puto, quem ab his excludebat eadem honesta ratio quae de Apolline affertur in Ione, vs. 1579 seq. Sed unam ex Heliadibus, vel ipsam sponsam Phaëthontis hic locutam esse, quae cor-

pus manibus iam tenens conspiciebatur, ad Eridanum delatura: qualis et res et oratio etiam est in Rheso, vs. 893 seqq. Et mirum ni illa absurde in Hectorem a Thracio auriga iacta convicia in mentem venerint scriptori illius dramatis quod ante oculos haberet Meropis in uxorem criminationes. Alium huius fabulae locum a scriptore Rhesi expressum esse supra notavimus.

In hac extrema fabulae parte elegans fuit versus qui, teste Athenaeo lib. XI. p. 503. D, in Phaëthonte legebatur: (vid. ap. Matth. fragm. XIII.)

. . . . . . ψυκτήρια
δένδρεα φίλαισιν ὠλέναισι δέξεται.

Quae mihi dicta videntur de amoenissimo ad Eridanum loco, ubi populi ad fluminis ripam crescentes aestuanti Phaëthontis corpori umbram et refrigerium essent praebiturae. Caeterum quamnam ex diversissimis traditionibus hoc loco secutus sit Euripides fere ignoramus: certe non multum ad hoc iuvamur Plinii loco, (Hist. Nat. XXXVII. 2.) quem, ad h. fab. fragm. p. 274, dedit Matthiaeus. Verba enim sunt: *Phaëthontis fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores populos, lacrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus: et electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit* ἠλέκτωρ, *plurimi poëtae dixere, primique, ut arbitror, Aeschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus.* Nimirum quae hic commemoravit Plinius, universa apud singulos poëtas quos nominat fuisse,

per se credibile non est; et non ita esse satis ostendunt sequentia, ubi dissensum inter eos de his ipsis rebus notat, scribens: *Diligentiores eorum Electridas insulas in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas dilaberetur Padus*: ut locus Euripidis quem in supra scriptis respexerit Plinius possit esse ille de Heliadum lacrymis qui est in Hippol. vs. 743 seqq. In sequentibus vero apud Plinium habemus sententiam Euripidis, ut opinor ex Phaëthonte, eamque a solo Euripide prolatam; modo recte apud Plinium interpungatur: nam vulgo sic legitur: *Nam quod Aeschylus in Iberia, hoc est in Hispania, Eridanum esse dixit, eundemque appellari Rhodanum, Euripides rursus et Apollonius in Adriatico litore confluere Rhodanum et Padum, faciliorem veniam facit ignorati succini in tanta orbis ignorantia.* Legendum autem: *Aeschylus — in Hisp. Eridanum esse dixit, eundemque appellari Rhodanum Euripides rursus, et Apollonius* caet. Vides tres in Geographia errores in singulis poëtis notari: et sane illa in nominis diversitate notanda curiositas ab Euripidis ingenio ita aliena non est, ut illi non adscribenda videatur.



Haec sunt de Phaëthonte Euripideo quae colligere potui. Quam sine dubio et maiestate rerum et varietate splendidam fabulam insignem locum in

Euripidis Tragoediis tenuisse mecum ut spero senties: nam ex rebus peregrinis poëta admirabilitatem, et hominis natura maioribus sublimitatem quaesivit, seque Aeschyli ut videtur similem esse voluit: et ex vera vita, etiam domestica, tum alia expressit, tum inprimis teneros animi affectus, ostenditque quid in ea suae artis parte valeret, quae in animis audientium commovendis cernitur. Sed quo praestantius fuit opus, in quo celebrando elaboraremus, eo magis verendum est ne culpam temeritatis effugere non possimus, qui leviter fortasse et minus perite tractantes contaminaverimus argumentum, quod elegantia et vero novitate summos ingenio doctrinaque viros ad disputandum alliciat. Et mihi quidem de Phaëthonte scribenti saepe in mentem venit vereri, ne ipse tibi quasi alter quidam Phaëthon viderer, qui difficilem rem, multaeque cautionis, aggressus, multa iuveniliter miscerem. Vicit tamen ut hanc epistolam non incideremus cogitatio, si de argumento praeclaro, et quo scires me valde delectari, a te ad scribendum invitatus tacuissem, nihil futurum quod me ignaviae turpissima suspicione apud te liberaret. Praesertim quum iam dudum me exhortatus esses, ut aliquod esset monumentum illius studii, quo veteres literas, multis dissuadentibus, colere pergimus: praeclaraeque qua per aliquot annos usus sum Viri Clarissimi Bakii disciplinae. Cuius viri, quem postquam in Academiam veni, fere unicum in his literis habui doctorem, ut eius erga me hu-

manitatem, benevolentiam, multa egregiaque merita numquam satis praedicare possum, ita nomen, quod tibi gratum esse scio, tacere nec potui nec debui in hac epistola. Quae si huic viro, tibique, praestantissime Assene, Academiae Lugduno Batavae luminibus, ita placuerit, ut de me aliquam spem concipiatis, non me poenitebit huius studii, quod tibi probari certo scio.

Scripsi Lugduni Bat.
mense Januario anni MDCCCXXXII.



ADDENDUM.

pag. 21. *ante lin.* 20. *omissa sunt haec:* verbum ἔχειν sic legitur apud Soph. Phil. vs. 1100, ubi vid. Schol. Inter verba ἄγειν et ἔχειν item fluctuant librarii in Soph. Antig. 34. Librarius Claromontanus videtur haesitasse.

